55151
19.

TENTAMEN

MEDICO-PRACTICUM,

CIRCA PLEUROPNEUMONIAM SUB QUADRUPLICI CONSTITUTIONE CONSIDERATAM,

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus;

AUCTOR,

JOS. EMMANUEL GAY, Octodurenſis apud Valeſianos in Helvetiâ, de authoritate Rſſmi. Sedunenſ. Epiſcopi S. R. J. principis, &c. &c. Notarius publ. liberalium Artium Magiſter, & jamdudum in hâc celeberrimâ Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ alumnus, die 11 Julii anni 1791.

Pro primâ apollinari laureâ conſequendâ.

Quicunque artem medicam integrè aſſequi velit primum quidem temporum anni rationem habere debet, deinde ventorum.

HIPPOCRATES, *de aëre locis & aquis.*

MONSPELII,
Apud J. F. TOURNEL & J. G. TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographos & Bibliopolas.

1791.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius & Judex.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.

OFFEREBAM

PERILLUSTRI, PRÆNOBILI AC STRENUO

D. D.

JOSEPHO-IGNATIO DE COURTEN,

Legionis helveticæ ſui nominis ſubtribuno, Regii & militaris ordinis Sti. Ludovici equiti, civitatis ſedunenſ. ſenatori. *&c. &c.*

VIR ILLUSTRISSIME,

NUNCUPATIONUM pompa, majorum bello præclarè geſta, Mæcenatis virtutes, authoriſque malè tornatum opus populo faſtidium ſæpe ſæpius attulerunt.

Sed juveni novum ſtadium ingredienti, *civiumque & benignitatem & fidem appetenti*, *licet ſanè nobili & Benefico* Courtennorum *genere ſibi famam vindicare.*

Qui tam beneficæ affinis eſt familiæ, *ille gaudet quod ſibi neceſſe ſit beneficum ſe præſtare. Beneficus etenim medicus*, *optimus certe medicus*, *quia medicus indoctus humani generis inter inimiciſſimas peſtes annumerandus eſt.*

Beneficiorum memor licet palam facere, *quod cum patre ab ineunte ætate orbatus fuerim*, *mihi*, *cariſſime avuncule*, *in parentis locum & amore & ſollicitudine & meritis ſucceſſeris.*

Multa de te honorifice non prædicabo. Inter omnes ſatis ſuperque conſtat te non minus genere majorumque factis quam tuis bello præclarè geſtis, *quam ingenii dotibus bellicisque & patriciis virtutibus eſſe commendabilem.*

Satis ſuperque conſtat te apud Sedunos *tanti*

æſtimari tantumque diligi, quanti æſtimaris quantumque à legione in caſtris diligeris.

Oſtendam duntaxat quæ ſit erga te animi mei affectio. Ad hanc diem tuo amore tuiſque ſecretò fruitus ſum meritis. Hoc mihi magnæ levationi eſt nempe ut pervulgem, me quidquid ſum & vitam & ſtudium ad hoc devovere, ut accepti beneficii me erga te memorem exhibeam. Summo ſtudio & ex aperto pectore tibi & theſim & gratiarum actiones & vota offero. Valeat uxor omni virtute & venuſtate affluens quam amor, opinio, & amicitia connexis tecum vincunt nodis. Valeat unica nata cujus in dies decor animique dotes creſcunt & felicem ſummâ perfundunt lætitiâ patrem. Abſolutâ per diu utere felicitate, meamque adauge felicitatem conceſſam mihi ſervando benevolentiam.

EMMANUEL GAY.

Dabam Monſpelii die 11 menſis Julii anni 1791.

Noſſe opportet in quibus temporibus humores florent, & quales in ſingulis morbos faciunt, & quales in unoquoque morbo affectiones. Hipp. *de hum.*

PROŒMIUM.

MEDICI omnes uno ore fatentur pleuritidem, vel peripneumoniam vel utramque pleuropneumoniam ſcilicet adeſſe, quoties pectus, vel muſculi intercoſtales afficiuntur dolore modo acuto, modo pungitivo, modo obtuſo & gravativo ad inſpirationem aucto, cum tuſſi crebra, mox cum, mox abſque ſputis, febre comitante acutâ & continuâ. At vero non omnes liquet haſce thoracis inflammationes, licet iiſdem ferme ſymptomatibus ſtipatas longe diſcrepantes, pro circumſtantiis diverſos conſtituere morbos diverſam & ſibi propriam vindicantes medendi methodum.

Rectè animadvertit *Huxam* dicens « peripneumoniam provenientem à violenta pulmonum inflammatione à ſanguine denſo valde viſcoſo obſtruente arterias & bronchias hujuſce viſceris morbum conſtituere valde diverſum aliamque therapeïam poſtulare quam illa, quæ oritur à materiâ lentâ, viſcoſa & pituitoſa

pulmones trulliſſante quæ diverſam adhuc vult medelam quam quæ dependet à materiei tenuis defluxu », his ſpeciebus potuerit addere, illam, quæ originem ducit ab apparatu crudo, plerumque amareſcente in ventriculo & ejus vicinia collecto, quem bilem ſalutavit *Stoll*, cujus ſapor plerumque eſt amarus, ſubinde acidus, & auſtero-acidus quin & dulcis, ſed dulcedine perquam naſeoſa, unde in pectus, & ibi irradiat ſubſtantiam pulmonum, pleuræ & muſculorum intercoſtalium, quæ therapeïam omnino ab aliis alienam ſibi vindicat : jam *Hipp.* nota erat hæc diverſitas : hinc per incogitantiam nominârunt veteres pleuritidem aut peripneumoniam, tantum illam pectoris affectionem, pectus afficientem, quæ tamen hoc vago genericoque nomine, totidem quot ipſa febris concomitans, diſtinctiones ſecum importat; vigente tunc autoritate iteratis venæſectionibus ſemper medebatur pleuritidi utpote morbo inflammatorio in quocumque caſu; ſub hanc medendi rationem evenit, ut medici de malignitate conclamaverunt ut recte animadvertit *Stoll*, cum inconſultæ medelæ morbus non ceſſit. « Incredibile dictu, aït *Ballonius*, quam multos trita vulgataque medendi via, ac præſertim in pleuritide perdidit? Nam audito lateris doloris nomine, ſi quis aliud præter venæſectionem remedium tentaverit anathema & inexperientia fuerit ». At vero hodie hac opinione adulta aberratum eſt ab illa veterum via, & qualibet affectio peculiaris, morbus ſemper unus & idem habitus eſt.

Sydenham primus inter omnes, *Hipp.* genio & ſagacitate inſtructus patris cous in praxi veſtigia relegens, obſervatione comprobavit, eaſdem, quoad apparentias, affectiones, longe diſcrepantes, pro vigente conſtitutione, conſtituere morbos, & eos qui diverſis ſtipantur ſymptomatibus, unum eumdemque efficere morbum, qui eamdem ſibi proinde vindicat medelam:

quod etiam tam amænis leporibus delineavit *Stoll* inquiens, „ Nihilominus in tanto ſymptomatum luſu ejuſdem epidemici morbi, atque in ipsâ diverſarum epidemiarum ſucceſſione mira quædam ſimplicitas obtinet, ſive cauſam morbificam, ſive vero genuinam methodum medendi ſpectes; illa enim varios ad ſpeciem morbos ſive potiſſimum ſolummodo morbum producet, ſed qui diverſiſſimos atque alios in aliis mentiatur prout aëris conſtitutio, vel corporis diatheſis, quam quiſque ſibi propriam atque ab alio diverſam habet, ejuſdem morbificæ cauſæ vires, diverſimode applicuerit „. Diatheſi, quæ ſola medici intereſſe poteſt, ſedulo perpensâ, & determinatâ, non difficile erit, leves quas locus affectus, functionum læſarum gravitas, organi hujuſce vitalis teneritudo vel robur imperare poſſunt, modificationes attingere.

Febrim ergo pleuropneumoniam concomitantem revocabit ſapiens medicus, ad annuas cardinales febres, quas ſingulis annis, conſtanti quâdam lege recurrentes ſeſeque excipientes, niſi quædam temporum anomalia, cœlique mutationes abnormes intercurrant, & hanc annuarum perturbent ſucceſſionem, ut longiſſima comprobavit obſervatio Hippocratica, Balloniana, Sydenhamiana & Stolliana; nec diagnoſim temerariam efformet, niſi priùs cognitis ægri ſexu, ætate, conditione, vitæ genere, morbi prægreſſi præſentiſque febris epidemicæ vel dominantis genio intellecto, & febrim ſtationariam, annuamque attente perpenderit; omnium horum acerrimo ſcrutatori, completa morbi notio feliciter arridebit.

Hiſce poſitis obſervationibuſque illorum ducium innixus, morbum mihi conſiderandum propoſui veluti pendentem 1°. à phlogiſto ſub conſtitutione aëris ſicca & frigida, hieme & vere ſcilicet, tunc maxime adflante borea. 2°. A rheumatica labe ſub humida & eadem ferme conſtitutione ſæviente. 3°. A bile, vere

in æſtatem vergente atque inchoante autumno. 4°. A pituita, ſub autumni finem & initio hiemis humidæ ac frigidæ, ni varie mode ſe habeat febrium habitus, temporibus anni à tenore conſueto aberrantibus. Difficillimum certè, ſed quam neceſſarium, variam harum cardinalium durationem, intenſionem, modificationem, luſum, ſucceſſionem, degenerationem, complicationem inter ſe, & cum aliis morbis, ſedulo perſequi.

Quibus ita præmiſſis de ſingulâ quâque pro viribus ſeorſim differam.

TENTAMEN

MEDICO-PRACTICUM

DE PLEUROPNEUMONIA EXQUISITE INFLAMMATORIA.

OBSERVATIONE comprobatur inconcuſſa & conſtanti, jam *Hippocrati* nota & ab omnibus ejus ſucceſſoribus vera comperta frigidum ventum & ſiccum hieme quam maximè & vere flentem excitare pectoris, pulmonum & coſtarum morbos inflammatorios; ait enim divus ſenex, aph. III. 23. 5. *Frigidum ventum, ſiccum dolores coſtarum & pectoris excitare.* & alibi de affect. cap. 3. *tempore hiemali & vernali pleuritides, ac peripneumonias maximè fieri, & quidem vehementiſſimas.* Cuncta quæ ſub tali aeris conſtitutione, perſpirationem cohibere valent, ut aër frigidus æſtuanti corpori admiſſus, potus frigidus ſudore madente corpore illis anſam præbent. Hinc tot bajuli, venatores, milites, curſores, ruſtici, aurigæ, equiſones, operarii, fabri ferrarii, idque omne genus hominum lethales pœnas luunt, qui à valido labore incalentes, nudo fere corpore quieſcunt, gratamque auram frigidiuſculam ſitienter captent. *Stoll*, *Triller*, *Tiſſot*,

Eyerel. Plures incauto veſtitu, admiſſo intempeſtivè corpori frigore periiſſe, quam peſte, ac gladio ac fame ſimul omnibus *Sydenham* pronuntiavit. Refert clar. *Tiſſot* juvenem ſudore madidum animam efflaſſe, juxtà fontem ipſum in quo extinguerat ſitim. Ipſiſſimus vidi juvenem quemdam extremum obire diem, cum excalefactus & ſudore madens poſt magnum ſaltum ſe frigidiuſculæ auræ expoſuiſſet & nivem ſorbuerit ſitis extinguendæ gratiâ; illico poſt deglutitionem de dolore magno & acuto circà thoracem querebatur, & duabus tribuſ-ve horis elapſis expiravit. Centena hujus naturæ facta adhuc poſſent enumerari.

Etenim anni tempeſtas; hiems & ver dùm hæc epidemicè regnat, adultus autumnus ſiccus & frigidus: loca montana, frigida boræ expoſita; æſtus nimii, inſolatio; ſuppreſſio evacuationum, retroceſſio humorum ad cutem prorepentium, ulcera crurum ſæpiſſimè juſto citiùs cicatriſata, motus immodici, ſaltus nimii, veneris abuſus, animi pathemata, exercitia pulmonum valida, vigiliæ protractæ, ætas virilis, temperamentum plethoricum, athleticum juxtà illud *Hippocratis qui ad ſummum ivernut boni habitus, difficiles ſi in extremo fuerint: nam nequent manere in eodem*. Copioſa vini ingurgitatio ac præprimis ſpirituum fermentatorum abuſus, nec-non aromatum, totidem cauſæ remotæ numerantur. *Cœlius Aurelianus*, *Aretæus*, *Boërhaave*, *Sydenham*, *Stoll*, *Tiſſot*, *Triller*. Ob magnum inſuper varii generis exhalationum ferax atmoſphæra pleuropneumoniæ ſcaturigo eſt & fons, quæ in aëris oceano fluunt, & à pulmonibus attractæ acore ſuô vitale hoc viſcus inflammant. Sic vapores arſenici, acidorum mineralium, ſulphuris accenſi, & muſti fermentantis uti *Van-Swieten* ac *Eyerel* obſervarunt & *Tachenius* de ſeipſo expertus eſt. Obſervationibus variis variorum primæ notæ auctorum edocemur, non omnem ætatem diris mulctari pectoris inflammationibus; tenerior enim & provectior, ut-pote muco magis quam ſanguini faventes (de generali loquor) minus obnoxiæ. Monuit *Hippocrates* (coac. prænot.) *Pleuritidem ac pèripneumoniam non fieri ante pubertatem*. Ob eandem rationem robuſtiſſimos præ debilibus, exercitatiſſimos præ otioſis, macilentos & ſanguineos præ obeſis & pituitoſis, viros præ ſequiori ſexu, juvenes præ ſenibus, *Cœlius Aurelianus*, *Aretæus*, *Triller* pneumoniæ obnoxios vivere obſervarunt. Faciliùs corripiuntur hoc morbo qui jam pectoris affectionibus laborârunt; angina trachealis ab initio neglecta aut perverſa methodo tractata facile in pleuropneumoniam abit, materie phlogiſtica ſenſim ad pulmones depoſita; item à neglecta coryza, optimè monente *Tiſſoto*, ſæpè contingit. Vicinarum partium inflammatio, præ-

cipuè hepatis. Regnante enim præcipuè inflammatoria conſtitutione & præſente in ſanguine phlogiſtica diatheſi variæ ſucceſſive partes inflammatione occupantur.

Diu multumque diſputatum fuit de inflammationum causâ proximâ, nonnulli neotericorum, quibus adhæremus, ſtabiliverunt illam in inæquali quadam ſanguinis diſtributione provecta à causâ quâcumque; unde fit major hujuſ-ce laticis vitalis affluxus quam uſus fert & requirit ſanitas in vaſis ordinariò partem debiliorem irrorantibus, quibus humor ille neceſſariò irritationis cauſa fit: naturæ cæteroquin vis medicatrix huic congeſtioni ſe recuſans actionem horum vaſorum adhuc auget producendo aut excitando contractionem ſpaſmodicam extremitatum capillarium, quæ commercium habent immediatum cum textu cellulari, maxima contractilitate prædito & cujus actio minima ex causâ excitatur, ſtrangulationibus conſequenter & conſtrictionibus admodùm obnoxio. Inter cauſas irritantes vero quæ ſanguinis affluxum ciere valent primarium certe locum obtinebunt exercitia ad nimium provecta, aut *Sanctorii* perſpirabile repercutum vel cohibitum, quod cum excrementitiale depoſitum à vaſorum finibus & denuò ab his reſorptum ob exitûs impedimentum, itemque circulationis leges ſubire cogetur, adaugent vim ſanguinis, aguntque tanquam ſpina *Van-Helmontii.* Ex nimio autem illo affluxu vaſorum parietes mox ſpaſmo, vel ex hujus ad ſummum protracta actione atoniâ afficiuntur in ratione diſpoſitionis vel individui, vel partis affectæ, vel epidemiæ regnantis: cum vero illa vaſa ſpaſtice contracta fuerint, neceſſariò conſequi debet illorum voluminum diminutio ex quâ conficitur ſecundum circulationis leges ſanguinis condenſatio, nam inhæret latici vitali qualitas ſe coagulandi ut primum illius motus ſiſtitur vel impeditur, unde obſtructiones & cætera phlegmonis phœnomena. Merito ex his concludere fas eſt, quod coagulatio ſit vel ſpaſmi vel atoniæ effectus, hæ autem inflammationum cauſa proxima, & quod per inverſionem cauſæ viſcoſitas denſatio-ve ſanguinis pro morborum phlogiſticorum primaria ratione rata fuerit.

Multùm quoque fuit diſputatum inter auctores de inſtituenda pleuritidis & peripneumoniæ differentia. In illa diſcutienda non immorabimur, & obſervari nobis ſat erit illud conſtare ex cadaverum ſectionibus à *Servio*, *Morgagni*, *Haller*, *Stoll. &c.* inſtitutis, pulmones quandòque ſolos fuiſſe affectos abſque pleurâ, pleura vero raro ſolam abſque pulmones: aſt cum ſymptomatibus cuilibet affectui propriis morbi ſedem difficillimum ſit diſtinguere, cum & inſuper, noto jam mali fomite, nullum ferè ſit ac eſſentiale diſ-

crimen in medendi tatione, cum tandem pleurâ affectâ, pulmones facilè in conſenſum trahantur; & vice versâ, affectis pulmonibus, morbus ad pleuram uſque protendatur, nil nobis eſt impedimento, quin illa, hæc-ve pars inflammetur, hanc affectionem pleuropneumoniam ſalutemus: *Huxham*, *Stoll*, *Eller*. Alia vero diſtinctio quæ inſtituenda venit, ea eſt, quæ circà diagnoſim verſatur, id eſt circà ſigna pathognomonica, quibus hæc affectio quatenùs inflammatoria, ab aliis diverſis diſcerni poſſit: non enim indifferens eſt, ſi non rectè inſtituta diagnoſi quid moliaris.

Jam ſi vigeat anni diatheſis; inflammatoriæ affectiones ſcilicet quæ eodem ſimùl tempore epidemice graſſantur, ætas virilis nempè; conſtitutio corporis robuſta: muſculoſa, plethorica, ſi, inquam, cauſæ illæ proægumenæ & procatharticæ ſupra enumeratæ locum obtineant, hariolari poteſt medicus pleuropneumoniâ iſta ægrum laborare, ſi ſubitò, abſque prægreſſis prodromis, morbus ingruat, frigore valido, cum anxietate & angore, per aliquot horas durante ſcenam ordiens; quod ſubſequitur calor, horripilatione recurrente, nonnunquam intermixtus, dyſpnœa, ſenſatio doloroſa in alterutro latere, vel quædam in cordis regione conſtrictio, oppreſſio plerùmque pectoris, ſupine jacendi neceſſitas, tuſſis nunc ſicca, quæ tunc doloroſior & periculoſior juxta illud *Hippocratis*, coac. 381. *Morbi laterales ſicci & in quibus nil expuitur graviſſimi ſunt.* Nunc humida plùs minùſ-ve ſtriis ſanguineis immixta non raro cruenta (ab *Hippocrates* hæc ſpecies ſanguinea fuit denominata ob ſputorum naturam). Capitis dolor, aut ad minimum gravedo tuſſiendo aucta, nonnunquam ſomnia & deliria quandoquè vero vigiliæ juges, fermè facies rubra, non raro flavo rubra; ſed alæ naſi, frons, guttur, thorax, volæ manuum intensè rubræ. Stupefactus & atonitus jacet à principio quod mali ominis, oculorum emicatio; lingua alba, ſicca; oris labiorum totiuſque habitûs cutanei ſiccitas, ariditas; halitus calidus, ſitis, guſtus depravatus cum nauſea, vel vomituritionibus, (quæ nequaquam pro ſaburræ ſigno habere eſt) urinæ ruffæ, parcæ & flammeæ; alvus nulla, aut rara & reſſicata; irritabilibus & infantibus ſuperveniunt convulſiones: pleurâ magis quam pulmo affectâ dolor acutus, pungitivus, fixus ut plurimùm & circumſcriptus perſentitur in latere, licet quandòque ad ſcapulas uſque ſeſe extendat; pulſus frequens, fortis, durus, conſtrictu, parvus haud raro per oppreſſionem, mollis ècontra, ſi pulmo magis afficiatur quia, inquit *Eyerel*, ſanguis tranare non poteſt per reſiduam pulmonis partem; hinc paucus pervenit ad cor ſiniſtrum, ad aortam, ad reliquum corpus; hinc pulſus molles debileſque in graviſſima pleuropneumonia;

circiter ſanguinis detraxit cum levamine inſigni : imò ineunte die nono dùm ſuffocationis metus ingruebat, denuò ex pede ſex ſeptem ve uncias ſanguinis emiſit, ſicque ægrum ex orci faucibus eripuit. Fràctâ autem phlogoſi, vel tranſacto primo morbi impetu, ſi naturâ criſim per ſputa jam incipit moliri, locus non amplius eſt venæ-ſectioni, niſi difficilis admodùm ſit reſpiratio, aut ſanguine tincta nimis materia exſcrecta latentem adhuc in pectore indicent inflammationem.

In morbis inflammatoriis pleriſque, ſanguis è vena eductus obtegitur in parte ſuperiori inſulæ pelle creſsâ, tenaci, albâ quam auctores *cruſtam phlogiſticam* nominârunt : ex illius tenacitate, à pulsùs duritie & intenſitate, & reſpiratione plùs minùſ-ve difficili deſumerunt medici in genere indicationes venam ſecandi : quam autem infida ſit illa indicatio, quam ſola cruoris inſpectio ad therapeïam parum conferat *Helmontius*, *de Haën* & *Huxam* ſufficienter demonſtravêre ; *Stoll* illam craſſiorem obſervavit in morbo bilioſo. *Sarcone* affirmat hanc à principio morbi uſque ad finem defuiſſe, ubi tamen ex reliquis phœnomenis inflammatoriæ febris indoles manifeſtà fuerit ; contendit idem auctor, hanc diatheſim Helvetiæ incolis fere naturalem eſſe, ſed res ad verbùm non verò ad mentem dicentis accipienda eſt.

Quæ vero ex pulſu deducitur indicatio, licet mendacio magis expers, fida tamen in omnibus dici nequit. Quotquot enim ſunt bonæ notæ practici, qui pulſum debilem & parvum nonnunquam obſervârunt, ubi tamen vehemens aderat inflammatio, phlebotomiam largam depoſcens (Fortaſſis erat apparens duntaxat hæc debilitas à nimio ſpaſmo ſcilicet provecta) ; ſufficiat hic *Stollii* auctoritas, qui vehementem obſervavit inflammationem in homine ruſticano, pulſu fermè naturali concomitante, cum ſola capitis gravedine, cui meduit duabus largis venæ-ſectionibus. Errori vero non ampliùs ſuberit locus, ſi ad reſpirationem ſimul attendatur, illa enim, ſi fas ſit ita loqui, pulsûs rithmum gerit. Si facilis & magna, pulſus frequens, plenus & durus reperitur ; ſi vero auguſta & parva, pulſus mollis obſervatur. Quæ vero ex tertiâ deducitur, reſpiratione ſcilicet, magis omnibus fida videtur. Hanc ſemper reſpiciendam eſſe vult *Baglivius*, eamque ſi difficilem plus minuſvè phlebotomiam in pectoris morbis indicare contendit. Hæc autem viri in arte bene meriti aſſertio, ad primum inflammationis tempus limitari debet : fieri enim poteſt, quod in ſtadio ſecundo, jam fractâ phlogoſi, ſputorum tenacitas, quibus pulmo nonnunquam eſt refertus, ejus dilatationi obſtet, aut reſpirationi liberæ obſtacula ponat.

In

In iſto caſu, nedum venæ-ſectione fiat liberior reſpiratio, magis è-contrà adaugeretur difficultas. Illud autem primum ſtadium, licet intrà quatuor plerùmque dies; pauciores nonnunquam definiatur, non ſtricte adeò intra definitos cancelos coarctatur, ut progredi ulteriùs non poſſit. Dùm *Hip.* Anaxioni venam ſecavit octavo die adhuc vigebat cruditatis ſtadium, cum morbus undecimo die vix coqui cæperit & morbi inducias tullerit. Doloris febriſque in genere non imminuta intenſitas; circulatio inter pulmones impedita, quod reſpiratione difficili, faciei oculorumque rubore, halitu admodùm calido, tuſſi ſiccâ, ſputorum coctorum abſentia dignoſcitur, quæ quamdiù vigent quæcumque ſit morbi dies, phlebotomiam, emollientia & reſolventia ſibi vindicant. Sic enim ſcribit *Galenus*. *Quoniam ſæpè cum quis dies ſex aut quinque ægrotavit ad curationem accerſimur, expediet utique ſanguinem mittere, etamſi prima occaſio ſit prætermiſſa. Quacumque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotante inveneris, in hoc præſidium hoc adhibito, etiamſi viceſimus ab initio morbi fuerit. Scopi vero ſunt, magnus morbus, virium robur, excepta ætate puerili, & ambiente nos aëre vehementer calido.* Cap. 20. lib. de ſang. miſſ.

Cum illuſtriſſimo Profeſſore *Brouſſonet* hic animadvertam quod cæteris paribus ſanguinis miſſiones copioſiores debeant inſtitui ſub conſtitutione aëris ſiccâ & frigidâ, quam humida quia hæc pituitæ potius genitrix eſt, ut in exponendis ſequentibus fuſius patebit. Huc quoque pertinet monitum *Huxami*. Morbi ſane, ait, vel generis ejuſdem, largiorem longe poſcunt ſanguinis detractionem, eamque multò faciliùs ferunt ægroti, dum ſiccum adeſt cœlum, & elata perſtat barometri ſtatio, quam dùm æſtuoſa aëris humiditas vim fere vaſorum reſolvit. Licet phlebotomia in morbi exordio præſtantiſſimum ſit auxilium; vitalis tamen laticis prodigus non adeò debet eſſe medicus, ut in illo effundendo diutiùs quam par eſt immoretur. Incaſſum enim hiſ-ce largis ſanguineis evacuationibus, fractis jam ægrorum viribus potiùs, quam morbo, hoſtilem materiam in coctionem reſolvere conaretur; & revera vis vitæ nimis dejecta, muneri fungendo impar, prius oneri ſuccumbet, quam opus ſuum aggrediatur.

Moderato ſic per venæ-ſectionem morbi impetu ſpatium concedetur diluentibus, forma balnei, clyſmatis, potûs aſſumendis. Emulſiones nitroſæ, emollientium decoctiones; v. g. hordei, avenæ cum nitro; oximele ſimplex vel ſambuci. Infuſiones theiformes verbaſci; ſucci aurantiorum, cum fructibus ſaponaceorum qui maximi æſtimandi veniunt in morborum phlogiſticorum therapeia; potus maxime emolliens, tepidus, cùm melle, & pauco

C

ſale medio aſſidue hauriendus. Cataplaſmata emollientia ; avena toſta cum aceto ad latus affectum applicata, vel veſicæ lactis decoctionis-ve emollientis plenæ : fomentiones inſtitutæ ſuper locum dolentem cum pannis laneis decoctione quâdam emolliente & reſolvente ſed calida vel tepida imbutis : maximè iis utebatur divus ſenex. De morb. acut. ait enim, *ſive initio pleuritidis ſive in fine ad lateris mitigandos dolores calidæ ſomentationes adhibenda*. Huc quoque pediluvia multùm conferunt. Quam maximè etiam ad ſanationem contribuunt clyſmata, quæ *Trillerus* vult quotidie adminiſtrari ſub veſpera cum dolores intenſiores evadunt ; nil, ait *Eyerel*, urinam & alvum magis efficaciter promovet quam enemata emollientia, cum ea fomenti ſpecies & omnibus abdominis partibus lene ſint ſtimulans, atque non urinam ſolum & alvum evacuant, ſed minuunt cephalalgiam & abdominis renumque dolores, derivationemque humorum ex pectore cient, cavent-ne conſtipatione calor adaugeretur, & ne flatibus præſentibus abdomen, & diaphragma diſtendentibus reſpiratio reddatur difficilior : ſufficit autem blandiſſimorum anti-phlogiſticorum uſus, v. g. mellis unciæ binæ, cum nitri media drachma & decem unciis decocti hordei, cum indicatio curatoria non requirat, ut per alvum ſubducantur liquida, ſed potius ut per omnes corporis vias talia ſubminiſtrentur ſanguini quæ illius inflammatoriam diatheſim reſolvere valent. Methodum illam emollientem & relaxantem indicat ipſa natura ; ſcilicet homines robuſti & laborioſi fibris rigidioribus & conſtitutione corporis ſicciore præditi, huic morbo magis obnoxii ſunt, & magis ab illo afficiuntur : iſque præterea tempeſtate frigida & ſicca potiſſimum ſævit.

Tranſacto primo morbi impetu ; qui ex ſymptomatum remiſſione, ex pulſu molliori, ſputis jam apparentibus dignoſcitur, venæ-ſectionibus valedicendum eſt ; niſi criticâ quadam ſuppreſſa evacuatione, ſigna recrudeſcentis inflammationis, ut febris fortior, cum reſpiratione difficiliori, iterum illas inſtituere jubeant. Is enim in primo ſtadio earum eſt finis, ut præcaveatur ſuppuratio : cum verò in ſecundo, jam factâ reſolutione, criſim natura moliatur, inutile ut noxium non dicam hoc fiet auxilium, hinc ad naturæ conamen reſpicere debet medicus, ut illi poſſit morem gerere, nihilque moliri ; quod operi ſuo obicem ponat.

Omnes clinici obſervârunt pleuropneumonias liberâ & copioſâ excreatione terminari, eam eſſe horum morborum criſim naturalem, & materiæ morboſæ obſtruentis expectorationis defectum periculoſum pronuntiarunt. Copioſum autem debet eſſe ſputum teſte *Eyerel*, ut omnis morbi materies

evacuetur integrè, aliter enim irritum naturæ conamen indicat, quod omnibus evacuationibus materiæ morboſæ pro malo omine habetur. *Hippocrates* jam hanc terminationem cognoverat; ait enim 4. acut. *perperam agitur cum iis pleuriticis & peripneumonicis qui nil expuunt, niſi copioſæ fluant urinæ. Et* alibi; coac 388. *Quibus pleuriticis ſtrepitus multus in pectore eſt, pulſus exilis, dyſpnæâ erecta, delirium, facies ſubtriſtis, oculus aurigine ſuffuſus & caliginoſus hi pereunt.* Quo citior, facilior & largior materiæ coctæ excreatio accedit, eo meliùs eſt. Sed mox ſi pro votis res cedit, colorem inducunt albidum, flavum, & bonæ coctionis notas præ ſe ferunt, ex quibus æger multùm levaminis in reſpiratione, dolore & oppreſſione experitur. Teſte patre *Cous*. Præn. 97. 98. coac. 391. *Omnia ſputa mala eſſe quæ dolorem non levant; omnium vero optima quæ dolorem ſedant.* Nil vero hæc magis fovet quam libera & crebrior relaxantium, ſaponaceorum, diluentium potatio, ut-pote decoctiones ſupra nominatæ, ſerum lactis, herbarum pectoralium infuſio, ſucco aurantiorum acidulata, cujus etiam loco mel addi poteſt, quæ calide, crebro parvaque copia epotanda eſſe vult *Huxam*; ea enim ratione plus vaporis à pulmonibus abſorbetur, unde major relaxatio & dilutio, dùm largi nimis hauſtus, ventriculum onerando, flatus procreando coctionem impediunt. In hoc ſecundo ſtadio, præcipuum medici officium eſt expectorationi ſedulò invigilare, ut rectè procedat, & ne intùs materia remaneat: multæ enim ſunt cauſæ quæ illam minuere vel etiam penitùs ſupprimere valent. Sputorum viſcoſitas quâ intrà pulmonùm bronchia firmiter adhærent, undè niſi difficillimè extricari queunt, vires nimium fractæ vel morbi violéntia & duratione, quia frequentioribus phlebotomiis nimis in laticè vitali hauſtum eſt, dum infarctos pulmones relinquunt, ſuffocationemque inſtantem minitantur, agentis medici vices expoſtulant. In iſto caſu viſcoſam materiem incident gummi ammoniacum, oxymel ſcilliticum, kermes mineralis, tartarum ſtibiatum ea tamen doſi quæ vomitu ciendo impar ſit, aut ſi magis arridet aquæ ebullientis vapor, ipſiuſmet aceti puri, cujus ope clar. *Tiſſot* multos ex orci faucibus eripuit; ſed per aliquot horas perſiſtendum eſt.

In exhibendis antimonialibus, cæteriſque expectorantibus, ea debet haberi cautela, vult *Stoll*, ne maturius quam par eſt in uſum protrahantur. Nondum enim penitus extincta phlogoſis, adhuc veluti ſub cinere latitans expectorantium ſtimulo excitata in novos acceditur febriles æſtus, phlebotomia compeſcendos. Hinc quamdiu quædam reſtitat phlogoſis ſuſpicio, in ſolventibus emollientibuſque à *Stollio* ut optima antiphlogiſtica viſa,

inſiſtendum eſt, ad tempeſtiorem occaſionem demendanda expectorantia.

Quoad cauſas, quæ expectorationem ſupprimere valent à ſæpius jan. laud. *Tiſſot* hæ numerantur, 1°. Subita refrigeratio. 2°. Aër calidior. 3°. Acriora remedia. 4°. Copioſiores ſudores. 5°. Intempeſtiva purgatio vel diarrhæa. 6°. Vehemens animi pathema. Harum cauſarum prior locum obtinebit, cum in ægrotantis cubiculum imprudenter frigidiſſimus aër hiemali tempore ſubito admittitur, vel dum ægrotantes gelidum potum affatim bibunt; jam inter cauſas pleuropn. numeratum fuit aëris frigus; conſtat enim gelidum pulmonem ſiccare, ſtringere, imo & ipſum ſanguinem per vaſa pulmonalia motum & nudo fere aëri expoſitum, coagulare: unde patet ab eadem cauſa morbum præſentem debere augeri, & contractis vaſis excernentibus, ſputa ſupprimi.

Quoad ſecundam *exſiccatio undequaque nata*. Dum nimium frigus hic noxium vitare volebant quidam, in alterum extremum inciderunt, nimia calefactione loci in quo decumbunt ægri. Notum eſt ſaniſſimos homines æſtuente in aëre verſatos, ſicciſſimam habere oris interni, narium, aſperæ arteriæ, & pulmonis omnem ſuperficiem ſic ut vix loqui aut deglutire valeant ob partium ſiccitatem, non mirum ergo & idem ab eadem cauſa in ægris fieri. 3°. Ut ſputa rite prodeant, febris mitis & boni moris ſit in confeſſo eſt; ſi ergo inceptæ tali excretioni ſuperveniat febris vehementior, quæ remediorum acrium calefacientium, in hoc morbi ſtadio exhibitorum ſequela eſt, exſiccabitur brevi corpus liquidiſſimis expreſſis & mutabitur illa morbi conditio quæ ſalubri huic per ſputa evacuationi favebat. 4°. Jam notatum fuit ſuperius ubi de clyſmatibus quod morbi indicatio curatoria non requirat ut per alvum eliminetur materia; attamen fit nonnumquam ut ab adſtantibus purgatio temere adminiſtretur ægris, quâ liquida ingenti copia de corpore ſubducuntur, unde ſputorum ſuppreſſio oritur; quod jam obſervaverat *Hipp.* de morb. lib. I. cap. 11. *Si multus humor per inferiora ſecedat à quinto die, mortem infert. Secedente enim per inferiora humore, ſuperiora ſciccеſcunt, neque ſputis purgatio per ſuperiora prodit. Inferiorem igitur alvum neque nimis ſiſti oportet, ut febres haud acute ſint; neque nimis ſubduci, ut ſputum ſurſum emitti poſſit; & æger viribus valeat.* Sudor ingens ob eamdem rationem, nimiam nempe liquidi ſubductionem, ſputi ſuppreſſi cauſa eſſe poteſt, uti facile patet. 5°. *Animi affectus vehementior.* Quantum turbari poſſit corpus à validis animi affectibus quotidie experimur. Sic v. g. in ſaniſſimo homine ob atrocem contumeliam illatam, ſumma ira ſæpe naſcitur; & febris, & à ſola mutata cogitatione

totum corpus mutatur. Magis nocent nimii animi motus quam nimius corporis motus optime notavit *Sanctorius*; cum autem in hoc caſu, ubi per ſputa evacuatur pneumoniæ materies juſtum adſit febrilis motus moderamen, patet, ingens diſcrimen adeſſe, dum per animi affectus vehementiores incitatur ille motus. Accedit, quod in validis animi affectibus ſemper in reſpiratione obſervetur facta mutatio, unde pulmonem directe quaſi afficiunt. Sic irâ ſummâ motus homo validiſſime reſpirat illico, & anhelat; metu ſubinde percuſſus ſtatim ingentem circa pectus oppreſſionem ſentit, moleſtiſſima ducit ſuſpiria. &c. &c. *Eyerel.*

Si hæc ſuppreſſio ſubito fiat quin ſuperveniant aliæ evacuationes, quæ illi locum ſuppeditare poſſint graviora recrudeſcunt ſymptomata, angore & oppreſſione vexatur æger, in aperto verſatur diſcrimine: anceps iſte caſus multum prudentiæ ex parte medici requirit, qui ſedulo attendere debet vel ad cauſam productricem, vel ad virium ſtatum, quod enim poſtularet una altera reſpuit. Phlebotomia, bechica & veſicantia vulgo ſunt auxilia quæ tunc uſurpantur; pulcherrimum quoque in iſto caſu ſunt remedium vapores emollientes, humectandi relaxandi gratia totam pulmonum æream ſuperficiem.

Sed nemo non videt quantum mali conſequeretur ex inconſideratâ illorum adminiſtratione in dubio iſto ſtatu: pulſus durus, fortis; vires ægri intactæ, pauciores prægreſſæ phlebotomiæ ſuperſtitem phlogoſim indicant, & cuique patebit quod veſicantia, remedium ſumme irritans & excitans, & antimonialia propter allatas jam rationes ſub tali rerum conditione haud congruere, tunc ad phlebotomiam, vapores ſuffitusque recurrendum eſt. Si vero pulſus parvus, debilis; ſanguinis miſſiones copioſæ & frequentes præceſſerint, quæ ægrotantis debilitatem denotant atoniamque virium, tunc antimonialia quæ levi ſuccuſſione viribus ſtimulum addunt, palmam præripient, dum phlebotomia illas penitus frangeret. Hic etiam locum obtinebunt veſicantia ſupra ipſum pectus applicata, quæ eo forſan cæteris præſtant quod inſalutatis primis viis immediate in ipſammet materiem in pulmone impactam agant; vi illorum movente, glutinoſa incidente, attenuante, ſolvente, ſputa pulchre provocante quin alvum ſollicitent, prævalent cæteris expectorantibus, quæ potius catartica vi agunt alvo forſan jam nimium per ſe lubrica, antequam in ſanguinem recepta & deſtinato fini ſatisfaciant. *Stoll.* Jam â patre *Cous* damnatum fuit illud alvi profluvium, aph. VI. 16. *Pleuritide aut peripneumonia correpto alvi profluvium malum.* Teſte *Baglivio* ſolo per tuſſim

excreatu ſanantur feliciter pleuritici, & qui hoc prudenter inſtituet brevi recedentem videbit pleuritidem, ſudores enim & aliæ evacuationes non ita conferunt, nam ab affectâ parte non educunt.

Nullibi autem magis conducunt veſicantia cæteris quam in illo caſu, ubi ſputa jam libere prodeuntia diarrhæâ vel arte vel ſponte nata coercentur, dum enim ſputa movent, cutis poros referando alvum ſtrictiorem reddunt. Illorum uſum jamdiu in pectoris morbis uſurparunt clinici. *Laurentius Joubertus* hujuſce Ludovicæi Prof. celeb. primus ex *Aretæo* veſicans ſupra latus dolens in morbis pectoris adhibere auſus eſt, ut videre eſt in diſſ. à D. *Abadie*, de corpore cribroſo *Hyp.* ſeu de textu mucoſo *Bordevil*, in hoc Ludoviceo pro bac. gradu conſequendo propugnata. *Bagl.* illa ſuris admovebat optimo cum ſucceſſu in reſpiratione difficili & non rite prodeunte excreatione enixus hac *Hipp.* obſerv. *In pulmoniis quicumque tumores fiunt ad crura optimi ſunt* &c. &c. in pro. Poſtea in auxilium vocata fuere non ſolum ut ſputa movent, ſed etiam ad dolores ſedandos : Ill. *Mertens* vult illa applicari ad partem affectam, licet ſuperſit aliqua febris, temperatâ jam phlogoſi per venæ-ſectiones. Agunt hæc forſan obtinendo doloris ſtimulo, quo acceleratus ſanguinis circulus plus juſto ad partem affectam derivaret, ſicque deſtructo enecleo, quem circa vires conglomerantur, hæ verſus periphæriam veluti irradiant ut ex *Hipp.* videre eſt. lib. I. de morb. ſect. 5. *Pars vero ex carne per medicamenta & potiones diffunditur, & per calefactoria extrinſecus admota adeo ut morbus per totum corpus ſpargetur;* unde ſpaſmi rigiditatiſque cutaneæ ſolutio, textûs cellularis variorumque colorum relaxatio, ad excretas materies excipiendas & amandandas diſpoſitio. Omnes practici obſervarunt quod dolor ille phlogiſtico generali ſuperſtes non compeſcendus per phlebotomiam, maxime retardet criſim & fere cuncti de variis modis illum ſopiendi cogitârunt. *Aretæus* ſinapiſmis utebatur. *Stoll* & *Pringle* ad producendum illum effectum commendant veſicantia; alii inter quos numerandus venit ill. profeſſ. *Vigarous* cucurbitulas ſcarificatas, ſanguiſugas; alii tandem primæ notæ quorum unus *Eyerel* obſervationibus ſuis probant opiatica felici praxi adhibita fuiſſe; ſane haſce indicationes explanare difficillimum eſt : veſicantia, opiatica & cucurbitulæ in eo coeunt quod omnes ſpaſmum ſedare valeant & differunt in eo quod veſicantia ſtimulum viribus addant potentiſſimum, circulationem validiorem reddant, ſtricturam ſolvant, & humores ad exteriora attrahant interioremque ſpaſmum ad peripheriam trudant : in eodem ſenſu

dixit *Celſus* de fauc. morb. cap. IV. *Atque interdum natura quoque adjuvat, ſi ex anguſtiore ſede vitium tranſit in latiorem.* Cel. prof. *Fouquet* contendit veſicantia agere producendo febrim per aliquod temporis ſpatium ſaltem, promoventque ſic coctionem & excreationem. Opium dum omnes excretiones præter ſudorem ſuffilaminat, humorum orgaſmum, eorumque verſus caput raptum auget, unde obtuſo ſic communi ſenſorio, mens à dolore avertitur, plethoram excitat artificialem, unde majori niſu ad cola cutanea humores appellunt, ſicque excitatur ſudor, ſi talis eſt cutis ſtatus qui tranſitum non prohibeat. Cucurbitulæ laxitatem parti inducunt, dilatatoque ſic ſpatio & imminutâ reſiſtentia quemdam affluxum cient, ſanguiniſque plethoram localem imminuunt novam autem invitant, ſi nondum peracta fluxio ſit. Ex iſtis concludere cenſeo. 1°. Cucurbitulas ſcarrificatas egregium præbere auxilium, ubi jam facta fluxione, & imminuta jam frequentibus prægreſſis phlebotomiis, ſanguinis maſſa, cruore adhuc turget pectus, ſtatum phlogiſticum in parte fovente, ubi jam evanidus dolor denuo recrudeſcit in eadem parte, cum ſputis iterum ſanguineis, reſpiratione difficili, pulſu tamen non duro admodum ſpoliativam ſanguinis evacuationem non poſtulante. 2°. Sub eadem fere conditione conducunt hirudines, nocerent autem, ubi nondum fluxio curſum peregerit, quia cum hæc agant derivando uti nos in prælectionibus ſuis edocuit jam laud. ill. prof. *Brouſſonnet*, augerent humorum affluxum ſi fluxio conſtabilita non fuerit. 3°. Opium non conducit quamdiu ſupereſt aliquid plethoræ localis, licet generalis prægreſſis ſanguinis miſſionibus imminuta jam ſit; tunc vero locum ſibi vindicat ubi laxâ & molliente cute obtundendus eſt doloris ſtimulus à merâ affectione nervosâ pendens: veſicantia viciſſim adhibita ſi ſiſtema cutaneum nimis rigidum ſtrictumque ſit ad eamdem provinciam adimplendam omnem paginam adimplent.

Si hæc remedia tempeſtive fuerint adhibita, ægerque uſus fuerit regimine prædicto; morbus ferme ſemper ad perfectam reſolutionem pervenit, criſi naturali quæ ut conſtat ex *Hipp.* 7°. 9°. 11°. aut 14°. morbi die fit vel per ſputa, vel per urinas quæ tunc temporis deponunt ſedimentum ruffum, nonnumquam verum pus, vel per largos ex naribus ſanguinis fluxus; vel per alvi profluvium vel etiam per menſtrua in mulieribus; erumpunt poſtea ſudores tam benigniores nunc quam fuere noxii ab initio.

Nonnullis horis antequam ſuperveniant prædictæ evacuationes apparent ſymptomata horrifica, quæ adſtantibus non raro terrorem incutiunt, uti

angores, palpitationes, pulſus irregulares, oppreſſio major, convulſivi motus, quæ nequaquam periculoſa ſunt modo ſe bene conducant adſtantes. Proveniunt autem hæc ab humore purulento qui locum mutat, humorum quibus miſcetur circulo abrepto, varias irritando partes, enormes procreat motus, donec evacuatio ſupervenerit, quæ ipſis finem faciunt procreando ſomnum. Facile conceptu eſt quantum ex parte medici & adſtantium prudentiæ requiratur in tali caſu & quænam mala orirentur ex cardiacorum, ſpirituoſorum, theriacæ, confectionis, caſtorei, moſchi, ruthæ, aliorumque ejuſdem ferraginis adminiſtratione, quibus officioſum vulgus heu nimium utitur! *Quæ judicantur & judicata ſunt neque medicamentis movenda ſed miſſa facienda.* ait *Hipp.* aph. I. 20. His natura turbatur in opere ſuo, ſiſtitur criſis, materia quæ amandatura erat vel ſudoribus, vel urinis, vel alvo non evacuatur, ſed ſe præcipitat in partem interiorem, vel exteriorem, hinc mors, vel novus oritur morbus priori gravior & curatu ſane difficilior ſi intus cuidam viſceri defixa remanet; levioris vero momenti ſi extus tumorem efformet, ubi mox adplicanda veniunt cataplaſmata emollientia & cum maturitatem aſſecutus fuerit incidendus eſt. Ut hæc prævertantur mala, ſimul ac perturbatio ſuperveniat critica, abdomen & renes panno laneo aqua tepida madido involvendi ſunt; paululum augenda eſt potûs copia & injicienda ſunt enemata emollientia, quâ methodo multos ex orci faucibus eripuit Ill. *Tiſſot.* Sic enim relaxatis viis, humor facilius per varia cola iter capere poteſt.

De pleuropneumoniâ rheumaticâ.

Sub tempore humido & frigido interveniente boreâ & ſub eâdem fermè temperie, quâ viget pneumonides genuina ſæpiùs exercet imperium alia pectoris inflammationis ſpecies, cujus nonnunquam pediſſequa, nonnunquam præcurſor, rheumaticam dico. Tanta cum pneumoniâ phlogiſticâ gaudet affinitate ut ex *Stollio* illam penes ægrorum lectos diſcernere non ſit parvi momenti. Ut in illâ, non raro febris adeſt vehemens, dolor varius, lancinans, ſcindens, lacerans, urens, pungens, preſſivus, pulſatorius, attactum minime ferens, veſperi noctuque auctus, auctâ ſcilicet febre: tuſſis cum ſputis; oppreſſio, difficultas reſpirandi, color ſanguinis pleuriticus aliaque pleuropneumoniæ genuinæ ſymptomata à cujus therapeiâ tamen multum differt & abhorret.

Eam

Eam obſervavit *Sydenham* Londini anno 1675. Epidemice ſævientem autumnali tempore, ingruente hieme. Talem epidemiam obſervârunt *Edimburgenſes medici* ſub tempore autumnali 1731 & vernali 1732. Sævientem, quæ in ſuis actis videre eſt. Eam quoque vidit ill. exercituum medicus *Pringle* cum Anglorum caſtra in Belgiâ conceſſa fuere. Tandem nuperrime eamdem epidemiam verno tempore graſſantem obſervavit *Stoll* apud Vindobonenſes, poſtquam ſudanti corpori aura frigidior eſſet admiſſa.

Ut major eluceſcat differentia hanc inter & genuinam in referendis ſignis quæ ejus diagnoſim efformant eumdem, quem in priori ordinem ſequemur, ſigna ſcilicet ſignis ex *Stollio* deprómptis comparabimus; neceſſariò hoc debet inſtitui parallelum, ſecus cum tanta inter utramque exiſtat connexio vix hujus pathognomonicum character aliter deſignari poſſit.

1°. Ut ab atmoſphæricâ temperie ordiamur, tempore frigido & ſicco plerùmque viget pleuropneumonia phlogiſtica, humïdum & frigidum amat febris rheumatica. Sub hâc aëris conſtitutione ortum ſumpſit quæ à *Sydenhamo* deſcribitur, « tempeſtas, inquit, placida ac tepens, imò vero æſtati ſimillima, præter ſolitum ad poſtremos uſque octobris dies perſeveravit; eam vero mox alia multùm diverſa exciperet frigida ſcilicet atque humida ſubitò ingruens, tuſſes ubique numeroſiores graſſabantur, quam alio quovis tempore nemini ferè parcentès. Quemadmodùm tuſſis conſtitutioni opitulabatur in febre producendâ, ita etiam febris occaſionem ex tuſſi natam arripiens, jam pleuram ac pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaſerat, vel ſeptimana illa, quæ harum tuſſium exortum fuerat prægreſſa, quæ tam improviſa ſymptomatum mutatio nonnullis, qui minùs diligenter adverterunt animum, anſam præbuit *febrem hanc pro pleuritide eſſentiali, aut eſſentiali peripneumoniâ habendi* licet eadem omnino illa maneret, atque fuerat per integram hanc conſtitutionem.

2°. Dùm furit inflammatoria, alii ſimùl ejuſdem indolis graſſantur morbi; poſterioris verò ſunt ſatelitia rheumata epidemice quam plurimum ſævientia, diverſas partes occupantia. In Belgiâ rheumatiſmi laborantium copia non minor fuit, teſte *Pringlio* quam pleuriticorum.

3°. Pleuropneumonia genuina valido ut-plurimùm aliquot horarum rigore tragædiam orditur. Hæc autem incipit ſubinde abſque horrore aut cum levi frigore non diu durante.

4°. Dolor punctorius in verâ primum poſt aliquot horas à valido illo rigore ſupervenit; ſtatim vero dolor lateris, cum levi illo horrore in rheumaticâ perſentitur.

5°. In genuinâ dolor intra arctius ſpatium concluditur plerumque eſt fixus, in rheumaticâ ad præcordia, ad abdomen, ad lumbos, ad ſcapulas, nucham ſe extendit & de uno loco in alium migrat.

6°. In genuinâ dolor ex attactu non augetur; rheumaticâ vero attactum locorum dolentium non ferunt, nequidem ſtragula, quæ circulis ſuſtinenda ſunt.

7°. In genuinâ difficilius incumbunt ægri lateri ſano, plerùmque faciliùs in rheumaticâ : hoc phænomenon exceptiones patitur, nam nequaquam potuerunt ægrotantes de quibus agitur in actis Edimb. ſuper latus affectum cubare.

8°. Senſus oppreſſionis, difficiliſque reſpirationis maximus in genuinâ pleuropneumoniâ; perquam exiguus vero aut nullus in rheumaticâ.

9°. Genuina ſubito & inopinanter ingruit abſque prægreſſis prodromis; dum ſæpiùs antequam rheumaticâ aggrediatur, æger quæritur de vagis artuum doloribus, rheumatiſmum generalem ſimulantibus, uſquedùm ad latus ſedem figant.

10°. Lingua, fauces ſiccæ ſunt in genuinâ, albæ vero mucoſæ glutinoſæ in rheumaticâ.

11°. Cutis magis arida, ſiccitas narium, oculorum ſquallor, urinæ ruffæ, per paucæ, alvus exigua in genuinâ, nil horum vero ſymptomatum, aut ſaltem longe minus occurrit in rheumaticâ pneumonide.

12°. Genuina acutior cum periculo majori decurrit criſi, diebus criticis peragendæ & perturbationibus ſubjecta; rheumatica nullam fixam legem obſervat; plerumque benignâ reſolutione terminatur, etſi multum fortaſſe temporis à morbi exordio lapſum ſit; nonnunquam ſputis, urinâ, alvo exortiſque non raro ſudoribus ſolvitur.

13°. Pleuritides genuinæ ſæpè in initio *ſiccæ* & abſque ſputo ſunt; rheumaticæ raro ſiccæ, ſed tuſſis tenet, ſputa mucoſa, glutinoſa ſanguine ſtriata mox à principio.

14°. Sanguis in utrâque pneumonidis ſpecie ſumme phlogiſticus, hoc ſolo diſcrimine quod in rheumaticâ cruſta ſit craſſior ut plurimum majorque, ita, ut parum aut nil fermè nonnunquam craſſamenti appareat; ait alibi clar. Vindobonenſium medicus « *inflammationis rheumaticæ* fere pathognomonicon eſt, cruſtam habere denſam, ita, ut mediam per ſæpè partem, quin & plus ſanguinis totiûs emiſſi ſola cruſta afficiat. Inflammatoria hæc cruſta primis horis â venæ ſectione non contrahitur, & contractâ ſerius, fimbriis & margine circum circa elevato ut-plurimùm caret. »

Sedes inflammationis rheumaticæ in hâc pleuropneumoniæ ſpecie in pleurâ, muſculis intercoſtalibus potiſſimum, ipſis quoque pulmonibus fixa eſt, ſputa ſanguinea demonſtrant pulmones nonnunquam affici. Cauſæ remotæ videntur eſſe, plethora cum quâdam acrimoniâ conjuncta, alimenta acria, valde aromatica, abuſus ſpirituoſorum, victus fere totus animalis. Atmoſphæra mutabilis, ſæpiùs humida, frigidaque; tempus vernum & autumnale; irritabilitas nimia ſtudiis, vigiliis, venere vino exaltata: perfrigeratio ſudante corpore, ſudores conſueti cohibiti; acrimoniæ variæ, ſiphilitica, ſcorbutica, ſcabioſa, herpetica, bilioſa; evacuationes ſanguineæ conſuetæ ſuppreſſæ narium, catamæniorum, hæmorroïdum, quas ultimas contendit *Stoll* eſſe affectiones diatheſis arthriticæ.

Symptomata hujus ſpeciei, cum cauſis producentibus, mihi comparanti videtur, in eo poſitam eſſe cauſam proximam, quod effluvia iſta, quæ à ſanguinis maſsâ, per inſenſibilem tranſpirationem ablegari ſolent, à frigore cutis ſpiracula ſubitò contrahente introvertantur & in pulmonem, pleuram, vel muſculos intercoſtales deponantur: Hanc ſaltem veroſimilem evincunt, quæ præcedit hos morbos calida & amœna tempeſtas, cutis poros reſerando, perſpirationem fovens, irritans, & quæ poſtea priorem ſubitò excipit frigida & humida, jam in motum citam perſpirabilem materiem tam citò ſuſſlaminans & coërcens. Hoc autem pacto detentæ recrementitiæ exhalationes, acredinem concipiunt & febrem in ſanguinis maſsâ facile accendunt. Epidemia ab illuſt. *Pringle* deſcripta ſub noctibus adhuc frigidis & nebuloſis dùm interdiù ſol pauco magis caleret & ſub tentoriis per noctaretur loco videlicet humido erectis in milites ſævit.

Licet vero hæc febris inflammatoriam ſimulet, quamdiù exquiſitè rheumatica remanet, ab illâ methodo, quæ pleuritidi veræ convenit, abhorret admodùm.

Febri & peſſimis ejus ſymptomatibus occurrendum eſt, 1°. venæ-ſectione unâ vel pluribus prout circumſtantiæ exigunt. 2°. Potu emolliente, nitroſo, tepido. 3°. Clyſtere quotidiè ejiciendo. 4°. Applicatione maturâ epiſpaſticorum ad locum dolentem vel quam proxime.

Syd enham occurrebat huic morbo venæ-ſectione in brachio, & epiſpaſtico nuchæ applicato, clyſtere item quotidiè injiciendo; ægrum interim monebat, ut ſingulis diebus ad horas aliquot lecto abſiſteret, abſtineret à carnibus, nunc cereviſiam tenuem, nunc lac aquâ permixtum; nunc ptiſanam aliquam atque emulſiones refrigerantes ac lenientes ſorberet. Elapſo autem biduo triduo-ve, ſi nondùm minueretur lateris dolor, ſed adhuc vehementer

urgeret, ſanguinem ſecundo detraxit & ut in uſum enematum perſiſteret adhuc ſuaſit : & accuratâ factâ obſervatione illi conſtitit hæc ad debellandum morbum tutò & ſat citò ſufficere; dùm illi qui morbum ferocius atque hoſtili manu aggrediebantur, ingenti remediorum molimine bellum inferentes, vel ſuos ægros amitterent, vel ſaltem phlebotomiâ ſæpiùs repetitâ, quam vel poſtulabat morbi genius, vel etiam tutò ferebat, eorumdem labefactam vitam redimere cogerentur : non meliorem hæc poſterior methodus apud Edimburgenſes effectum ſortita eſt; dùm enim ſymptomata videbantur poſcere quandoque venæ-ſectionem repetitam, pulſus poſtea adeò deprimebatur, ut vix potuerit redigi iterum ad debitum robur. Sic quæ primarium in phlogiſticâ peripneumoniâ locum tenebat phlebotomia, hic veluti ſuſpenſa manu celebranda eſt, niſi quædam cum inflammatione adſit complicatio. Quantum autem damni ex ſanguinis miſſione accerſitur, tantum veſicantia afferunt commodi; ea mox ab initio *Pringlius* lateri dolenti admovebat, imò nondum inſtitutâ phlebotomia cum chirurgus nullus adeſſet, eâ vero attentione adhibitâ ut epiſpaſtica nondum cœperint agere cum vena tunderetur. Profuerunt apud Edimburgenſes venæ-ſectione celebratâ imò & repetita, & quandòque poſt illorum applicationem ſequebatur ſudor, qui morbum abigebat ſi copioſius & diu proflueret. *Stoll* cum fauſtiſſimo eventu etiam uſus eſt veſicantibus ad locum dolentem vel interſcapularem applicatis & obſervavit vix tres horæ quadrantes ab admoto emplaſtro epiſpaſtico elapſos eſſe cum jam doloris expertem ſe æger diceret. Fracto autem morbi impetu ſputis vero nedum ſatis attenuatis kermes ſcopum adimplebat. Multi fecerunt nonnulli nitri adminiſtrationem, ſed res pro votis non ceſſit iis qui illum parva doſi propinaverunt; at vero miri fortini ſunt effectus ex decem drachmis intra nyctemerum datis.

Terminato morbi ſtadio removendæ ſunt cauſæ quæ illum, aut diatheſim hanc acrem ſaltem procreare valent; ſi humores labefacti eſſent vitio ſiphillitico, ſcorbutico, herpetico tùnc ad remedia ſibi propria confugiendum.

Ex dictis patet quid diſcriminis & affinitatis inter veram & rheumaticam pneumonidem interſit. In priori is eſt medici ſcopus, ut ſanguinis orgaſmum compeſcat, erectas nimium naturæ vires, juſtos intra limites coërceat. Hinc phlebotomia ſœpiùs repetita quam maxime neceſſaria; veſicantia vero accidentalem curæ partem conſtituunt. In poſteriori autem acrem involvere colluviem & per colatoria cutanea amandare, ſedata ſi qua exiſtit, quam excitavit, inflammatione : hinc veſicantia ab initio applicata in iſtâ veluti ſpecifice agunt ab reſorpto illorum acri ſtimulo potius, quam à

diuturnâ loci affecti erroſione ; dùm venæ-ſectionis repetitæ, raro aut fere nunquam adeſt neceſſitas. Hæc enim minuendo naturæ vires, nimium perſpirationem inhibet, indeque acrem auget colluviem teſte *Huxam.*

Evenit non raro, ut bilioſa ſimul colluvies adſit, tùnc *pneumonia bilioſo-rheumatica* ex inde oritur : hoc in caſu expendendum eſt quodnam in corpore vitium *rheumaticum*, an vero *bilioſum* magis urgeat, unde modò huic, modò illi occurrendum eſt, & methodus pariter compoſita adhibenda erit.

In hâc pleurititidis ſpecie teſte *Stollio* conducunt ſudorifera camphorata, ſpiritus volatiles & mixtura ſimplex à *Darelio* & *Roſenſteinio* laudata cum nullâ aut exiguâ febri.

De pleuropneumoniâ biliosâ.

Diatheſim bilioſam ſobolem eſſe æſtatis adultæ & autumni inchoantis nullus neſcit ; aït pater *Cous* lib. de nat. hom. *Bilis autem per æſtatem & autumnum corpus poſſidet, id quod inde cognoſcere potes, quod homines ſuâ ſponte hoc tempore bilem vomunt, & in medicamentorum potionibus bilioſis purgantur.* Unde poteſt dari ratio frequentiæ horum morborum ſub hiſce temporibus. Eadem autem conſtitutio æſtati & autumno familiaris, in aliud anni tempus incidens ejuſdem generis morborum fons & ſcaturigo eſt ; non adeo enim morem gerit natura ut ab illa lege quandoque non deviet. Teſte *Stollio* « ſæpe æſtatis terminos excedit, porrigitur per » ſerum autumnum, atque hyemem, fortaſſe molliorem ; verno autem » tempore nondum plane emortua reviviſcit, ac proximâ æſtate domi- » natur reſumptis viribus : tunc ex *annuâ* fit *ſtationaria.* » *Ballonius* etiam obſervavit pleuritidem eryſipelatoſam debachantem vere ſub conſtitutione tepidiuſculâ, quam ſub hâc verborum ſerie deſcribit « anno 1571. Pleuritides erant eryſipelatodes, hyems præceſſerat aſperrima, excepta ab auſtrino pluvioque tempore ineunte vere, inde rheumata innumera, cum tempus, vernaret, tepidiuſculum fieret, repentini laterum dolores oboriebantur : in doloribus, hujuſmodi ſectio venæ non profuit. » *Sydenham* vidit febrem, bilioſam epidemice graſſantem menſe februario. Cl. *Grant* eamdem Londini autumno obſervavit. Epidemiam ejuſdem naturæ apud Lauſanenſes tempore verno regnantem vidit cel. *Tiſſot* (lettre à Zimm.) Si enim nimia copia atque turgor bilis in ſanguine adſit, materia exitum è corpore molliens, ſibi ipſi vias præcludit, atque hoc exitu negato in vicinas partes irruit.

Pro diverſitate itaque partium, in qua materies hæc biliformis ob recenſita impedimenta impingit, febris bilioſæ cum decubitu variæ ſpecies habentur. Vix ulla corporis nobilis ignobiliſve pars eſt, in quam non materiam biliformem incubuiſſe à medicis obſervatum ſit.

Frequens eſt bilis ad thoracem decubitus, unde pleuropneumoniæ bilioſæ oriuntur; qui morbi tum ob difficiliorem diagnoſim, tum ob methodum medendi à curâ pleuritidis genuinæ diverſam, peculiarem omnino medicorum attentionem merentur teſte *Eyerel*.

Magna, inquit *Baglivius*, copia materiæ morboſæ in primis viis collectæ pleuritidem producere atque quotidie fovere valet. Quam ſententiam etiam *Van-den-Boſch* affirmat in hiſt. conſtit. epid. verm. Ejuſdem eſt opinionis *Ballonius* aïens « major eſt pars pleuritidon & dolorum lateris tum à congeſtione cujuſdam excrementi in pulmonem & thoracem, tum ob recurſum tenuoris humoris per orgaſmum à ventre inferiore, quam capite & partibus ſuperioribus; alibi ſummus ille vir contra *Fernelium* verba faciens, aït « at maxima verarum pleuritidum pars à bile eſt: declarat tertianus paroxyſmus: eſt enim & pleuritidi proprium ut tertio die potius ſuas habeat exacerbationes, Præterea & conſtitutio partis ſuſcipientis id ſatis indicat. Cum enim dura ac membranoſa ſit, non facile admittit craſſos humores, cujuſmodi eſt bilis, facillime. Quæ omnia aperte demonſtrat *Galenus* & autore *Hipp.* à pleuritide ad cauſon facilis tranſitus. Id facit humoris maxima analogia: huc accedit quod apud veteres & peripneumonia & pleuritis abſolute ſignificabatur nomine *bilis*, & bilis pleuritim per excellentiam ſignificat, non tam ſæpe peripneumoniam. »

Differentia, ſi qua ex diversà anni tempeſtate huic confertur, tota verſatur circa phlogiſticum genium, quem tempore verno frequentiùs quam autumno, præ ſe fert; quoad cætera ſimilis aparet in omnibus; unde ut diagnoſis hujuſce bona & ſecura inſtituatur ſequentia ex autoribus collegi conſideranda. Præcedit per aliquot dies quin & ſeptimanas catharroſa diſpoſitio, anorexia, os amarum, glutinoſum, inſipidum, ſudores nocturni; tandem accedit horripilatio, frigoris & caloris vices alternæ, minus tamen grave eſt frigus quam in genuina pulmonum inflammatione, ſuccedit pectoris oppreſſio, dolor ardens in ſterno, vel in alterutro latere, ardor ſubinde totum thoracem occupat; raro inter tuſſiendum & reſpirandum dolor augetur; cephalalgia compreſſione ſublevata, manifeſtæ exacerbationes comitantibus vagis ſcrobiculi, lumborum

& dorſi doloribus, attactum ægre patientibus; oculis rubris, aut dilutiſſime flavis, vel cum modicâ flavedine ſubvireſcentibus, faciei & capitis totius ſudore nidoroſo, genarum intensâ rubedine, cum flaveſcente aut vireſcente pallore circa tempora, alas naſi, labia & pectus; lingua alba hirta, ſordida, aut ſæpius flava & vireſcente humore plerumque obducta; ſalivæ inſipidæ, amareſcentis, nauſeoæ dulcis affluxu in fauces, cum labiis, ore ſicciſſimis, ſapore alieno, amaro ut plurimum nanſeoſo; ructibus urentibus, rodentibus, auſteris, amaris, ſubdulcibus cum nauſeâ, vomituritionibus, vomitibuſque juvantibus variæ materiei, porraceæ, æruginoſæ, vitellinæ, atræ, nidoroſæ; ſiti nonnumquam maximâ, ſæpe nulla aut morbi acutiei non reſpondente; plenis, elatis, anxiis, gravatis, tumefactis præcordiis, torminibus, alvo aut ſilente, aut diarrhæa intenſe flavâ olidiſſimâ, urinis à principio fere flavis, quaſi ab aſſumpto rheo tinctis, croceis, ſpumoſis, brevi jumentoſis, lateritiis & aliquando ſtranguriofis, omnibus denique ſymptomatibus bilioſis. Ut à phlogiſtica inflammatione diſtinguetur ſequentia conſideranda veniunt à *Stollio* deſignata. 1°. Quænam eo tempore epidemia regnet; equidem difficile id per ſæpe accidit, niſi cui quamplurimum ægri curandi obveniunt; de neceſſitate autem hanc cognoſcendi præclare aït *Hærberl* « adcurata epidemiarum cognitio non ſolum in morbis cognoſcendis curandiſque medentem ut acus magnetica, nautas dirigit, ſed & præcepta ſaniora ſuppeditat, quibus tempeſtatis temporiſque morbum efficaciſſime averruncare poſſis ». Dictitabat etiam jam ſæpiſſime laud. *Stoll* ſe malle ægrum curare cognitâ anni tempeſtate & *morbo regnante* licet æger ne hilum de valetudine ſua narrare ſciat, quam talem, qui ad potiſſime omnia de morbo ſuo referre norit, ſi epidemiæ regnantis cognitione excideret. Hinc etiam epidemiarum augmentum, ſtatus, decrementum quam optime perpendenda ſunt; nam morborum gravitas teſte *Sydenhamo* ex epidemiæ creſcentis decreſcentiſve genio dependet. 2°. Ut in diagnoſi pleuropn. bilioſæ non erres ſymptomata ſupra recenſita in hiſce morbis bilioſis thoracis probe oportet memoriæ infixa habere; precedens ſc. valetudinis ſtatùs; ingluvies, uſus ciborum crudorum, projectus appetitus, oris amaror, dentes ſordidi, ventriculi debilitas ac imbecillitas, aliaque colluviei bilioſæ ſigna, primas vias affectas eſſe denotantia, longe antea tempore jam ſeſe monſtrantia, temperamentum bilioſum: adeoque lente hæc progreditur & invaſio non eſt ſubitanea; interea dum pneumonidis genuina plerumque validiſſimos, inopinantes & idioſincraſiæ ſanguineæ praditos aggreditur. 3°. Ad diagnoſim ſecurius inſtituen-

dam facit hæc quoque obſervatio, quod dolor in pleur. hac bilioſa inter tuſſiendum & reſpirandum raro augeatur; cum è contrario qui verâ pulmonum inflammatione laborant vix ſpirare aut tuſſire, propter inſigne pectoris incommodum, audent. Præterea tuſſis raro cruenta eſt in hâc niſi illa valida ſit. 4°. In bilioſâ pleur. ſcrobiculus, hypocondria, abdomen & lumbi eodem fere modo ac pectus afficiuntur; non autem æque in verâ. 5°. Febris pleur. bilioſæ juncta ex familiâ *continuarum remittentium* eſſe ſolet, ubi aut ſtato tempore aut etiam per intervalla incerta exacerbationes redeunt, ſive id quotidie ſive omni tertio, quarto die, ſive etiam eodem die ſæpius recurrant: febris vero pleur. genuinæ juncta continua eſt cum levi ut plurimum ad veſperam intenſione, nulla tamen prægreſſa horripilatione curſum pergit. Hinc *Sauvages* peripneumoniam puram eſſe ſynocham; quæ autem à ſaburrâ primarum viarum fovetur amphimerinam vel tritacophiam eſſe. 6°. Pulſus in hâc pleur. ſimilis eſt illius ſanitate fruentis ab exordio, jam vero febre determinatâ frequentior evadit & mox inflammatorium excedit. At vero in genuinâ fortis & durus eſt & ut *Petrus Foreſtus* aït tactum ferit. 7°. Alvus diarrhaica, bilioſa longe ante morbum non raro obſervatur; ſecus in verâ pleuritide, niſi id per accidens fiat. 8°. Urina non ruffa, ſed flava, vitelinum calorem referens, bilioſa ſæpe, cum ſedimento aut mucoſo aut lateritio, vel ante morbum, vel & in ipſo pleur. bilioſæ exordio obſervatur; in verâ autem pulmonum inflammatione urina ruffa, parca, abſque ſedimento eſt.

Perpenſis hiſce conſideranda quædam ſymptomata ſunt, quæ utrique pleur. tam veræ tum bilioſæ ex æquo conveniunt, quæve ob eam rationem penitius cognoſcenda, atque memoriæ infigenda ſunt, quod lethali cum eventu medentem ſæpe numero in errorem inducant. Ea fere ſequentia ſunt 1°. Oris amaror. Oris amarorem in bilioſis fere ſemper obſervamus, non tamen ita; ut abeſſe non poſſit, magnâ licet colluvie crudâ bilioſâ primas vias occupante. Verum ſubinde in iis, qui bilioſo vitio non laborant, atque in verâ pulmonum inflammatione oris amaror deprehenditur. Hinc ſerio monendum eſt, ne quis nimiâ præcipitatâ concluſione ex ſolo fere hoc oris amarore prædominantem bilioſam colluviem adeſſe ſtatuat, & funeſtam ægro medicinam faciat. 2°. Symptoma ſæpe anceps & utrique morbo commune eſt, vomituritio vomituſque. Etenim non infrequenter accidit, ut pulmo ferâ inflammatione tentatus, proximum diaphragma, ventriculum & œſophagum in conſenſum trahat ac vomendi deſiderium & ipſum adeò vomitum moveat. Hinc quemadmodum à causâ idiopathicâ

in

in ipſo ventriculo exiſtente, vomituritio & vomitus fieri queunt, ita & ventriculus ſympathice nonnumquam afficitur. 3°. Ipſa bilis hoc vomitu ſponte excitato rejecta necdum ſufficit ut de pleur. biliosâ concludi poſſit ſi cætera reclament, in omni enim propemodum vomitu, præcipue paulo vehementiori, bilis in inteſtina & ventriculum exprimitur, vomituque rejicitur; idque etiam in homine cæteroquin ſaniſſimo accidit. Quartum ſymptoma fallax ſæpe eſt, rubor faciei genarumque, qui tamen in verâ pleur. frequentiùs quam in biliosâ obſervatur. Eum obſervari in inflammatione pulmonum exquiſitâ facile captu eſt, nec ulteriori explicatione indiget. Verum certa eſt obſervatio *Ballonii* eos videlicet, quorum ventriculum, & inteſtina crudus apparatus obſidet, ſubinde pallere quidem vireſcereque, per ſæpê tamen ſummopere rubore ſuffuſos eſſe, ita ut & album occulorum rubeat. Eſt quoque *Hipp.* ipſius obſervatio, eos qui facie rubent, aut ſanguineos plethoricoſque eſſe, aut quod huc pertinet, *abdomen habere ſtercoribus vetuſtis obſeſſum.* Sed neque genarum pallor & vireſcens faciei color uni ſolummodo bilioſæ pleur. convenit, etenim permulti ſunt, quorum pulmones vera diraque inflammatio tenet, etſi vultu ſint pallido, oculis ſemi-ictericis, corporis totius colore ex pallido vireſcente. Serum enim phlogiſticum, quod cruſtam in patellâ inflammatoriam flaveſcentem exhibet, ægros ſæpe hoc flavo viridi colore tingit. Hinc cavendum, ne in diagnoſi nos color faciei ſeducat. Quintum ſymptoma in utrâque pleuropneumoniâ tam verâ quam bilioſa obſervari non raró ſolitum, ſputum cruentum eſt; etſi id frequentius genuinam pulmonum inflammationem comitetur.

Verum ſi in ſpuriâ hâc pleur. tuſſis aſſidua validaque thoracem quatiat, ſi præterea vaſa pulmonum ex prædiſpoſitione quâdam ſint debilia laxioraque & ipſo validiori tuſſiendi conatu ſanguinis quid ex ruptis vaſculis, eâ prorſus ratione, quâ in tuſſi puerorum ſtomachicâ vehemens in tuſſiendo motus ſanguinem per os & nares ſubinde copioſe exprimit. *Stoll*, *Eyerel.*

Viſum fuit hucuſque, quibus notis in caſu dubio medicus uti debeat, ut morbum pectoris ſpurium bilioſumque ab inflammatorio ſecuriùs diſtinguat. Verum nonumquam adeo abſtruſa mali cauſa; atque adeo complicata ſymptomata ſunt, ut tot argumenta pro ſpuriâ pleuritide quam pro verâ pugnent. Hoc rerum ſtatu dum medicus quam partem, quodve conſilium arripere debeat, dubius fluctuat, gravior quæſtio naſcitur, qui eundem moliri, aut potiùs non molliri oporteat. In his anguſtiis medici officio eſt ex *Hipp.* *prodeſſe aut ſi id nequeat non*

nocere. Pauca certe utrique morbo ex æquo conveniunt eaque 1°. Potus copioſus cum melle, aceto, pauco ſale medio. 2°. Frequens clyſterum uſus, ut inteſtina à præſente fors cacochyliâ liberentur. 5°. Exigua venæſectio ad uncias quatuor vel ſex utrique non rarò convenit, nam & bilioſis ex *Ballonio* ſubinde ſanguinis miſſio prodeſt, præſertim ab initio febris cum hæc valida eſt. Levamen aut nullum aut momentaneum, morbo poſt hanc aut mitiùs, aut graviùs afficiente, aliquid fortaſſe ſuggeret unde novam poſſit naturæ miniſter indicationem venari : mora denique ipſum morbum deteget evolvetque. Certe hæc indirecta quidem & incompleta methodus juvat potiùs quam nullâ aut ancipiti uti.

Temporum & tempeſtatum conſideratio, eorumque cum cujuſlibet idioſincraſiâ peculiari conubii quam in dignoſcendis & curandis enarratis ſupra ſpeciebus, neceſſariam admodum diximus, ad hujuſce curationem non eſt negligenda. Licet enim curativa methodus, quæ in bilioſam colluviem conatus ſuos dirigit, omnem adimpleat paginam, habito tantum reſpectu materiæ peccantis, nonnulla tamen haud rarò occurrunt illam mox ab initio aperto marte aggredi vetantia. Bilis enim ſaponacea & blanda, quamdiu injecto ſibi à naturâ fræno, ſanguini ſcilicet morem gerit, humor fit acris & mordicans, ſimul ac ab humorum circulo expedita in partem quamdam deponitur ;ibique phlogoſim excitat non levem, ſi ſanguineum nacta ſit temperamentum, ſi ſiccâ præſertim & frigidâ tempeſtate, ut nonnumquam in tempore verno, per aliquot dies durante illi pabulum, præbeat. Sub quibus rerum circumſtantiis, quid ex emeticorum effectibus periculi pertimeſcendum ſit, nemo non videt ; regurgitantis enim jam ſanguine pulmonis obſtructio vomendi conatibus adaugeretur, diſtentuſque nimis hoc viſus rupturam vaſorum minitaretur. Potius ſequendum eſt hic *Galeni* conſilium cujus verba ad unguem tenenda ſunt: *Ubi non ſolum acutus morbus fuerit, cujuſmodi eſt pleuritis, verum cum febre vehementiſſimâ multo magis vitanda purgatio atque per ſectionem venæ vacuandum magis, etiam ſi ad hyppochondrium dolor finiatur. Nempe etſi minus quidem auxilium, quam per purgationem ſequatur, ſecurius tamen multo exiſtit. Imo nullum periculum impendet ex eo quod fit per ſectionem venæ, eo diſcrimen maximum ſubeunte quod per purgationem tentatur, maxime ſi laborantis naturam non fueris expertus. Si enim naturam non noveris, metus eſt ne plus juſto vacues, aut nullo pacto naturam moveas, aut ſi moveris, non ſufficienter vacues. Quæ omnia magnas in morbis offenſas pariunt, quod non facilè ut in iis qui non febricitant, emendatur.* Comm. ad par. II. lib, 2. de diæta acut.

Patet itaque hanc primam ſpeciem tamquam bilioſo inflammatoriam conſiderandam eſſe. quæ tempore ſæpius verno ſævit dignoſciturque ex pulſu duro aliiſque ſignis inflammationem denotantibus, phlebotomiis pro re natâ iteratis potiùs debellanda, antequam ad evacuantia deveniatur. Ex alterâ autem parte, ſi eadem bilis temperamentum ſibi analogum, tempeſtatemque ſibi faventem, calidam ſcilicet & humidam nacta & *Galeni* conſilium hic locum ſibi vindicat. *Cum igitur febris non fuerit vehemens, & naturam laborantis expertus fueris ad medicamentum purgans te conferes.* Ibid. Mox ab initio evacuantia præmiſſis tantum ſalinis, acidis vegetabilibus & diluentibus, ſi nondum ſat mobilis materia videtur. Uterque tandem amara & tonica, versùs finem, expurgato omni colluvie ventriculo, ut præcaveatur recidiva; & ſi quid bilioſi adhuc in pulmone latitans, evacuantibus non obediens, tranſpiratione verò expellendus, dolorem ibi adhuc fovet ex jam allatis ſupra rationibus, veſicans ſupra ipſammet partem affectam poſitus, omnem paginam adimplebit.

Tempeſtate humidâ & calidâ ſimul regnante cum hic morbus aggrediatur temperamentum ſibi analogum & diutius in gaſtrico ſyſtemate ſtabuletur bilis, mox ſecundas vias in conſenſum trahet, præcipue ſi præconceptâ ductûs opinione, quæ phlogoſim in omni pleuropneumoniâ videt, hanc procul abſentem iteratâ phlebotomiâ medicus aggreditur. Sic enim fræno expedita bilis, nullo ſervato more in pejora ruet, *ſanguis enim*, teſte *Hipp. eſt frænum bilis*, hancque formidandam bilioſo putridam accerſet pneumoniam, quam comitantur omnia fere ſymptomata, totam humorum maſſam putrido infectam eſſe & corruptam miaſmate indicantia. Hujus ſanè proſapiæ erant pleuritides iſtæ malignæ à *Tiſſot* deſcriptæ, magnâ virium proſtratione, ſtupore, pulſu molli parvo inſignitæ. Tales erant peripneumoniæ verminoſæ putridæ ab illuſt *Vanden-Boſch* deſcriptæ. Tertius iſte caſus, cum non tantum gaſtricum ſyſtema, ſed arterioſum etiam jam putredine affectum præbeat, nonnulla alia requirit auxilia, inter quæ evacuantia primum obtinere locum debent. In caſſum enim adhiberentur antiſeptica quæcumque fortiora, illæſo prorſus remanente fomite, qui per continuam materiæ reſorbtionem, vel ut alii magis amant, per mutuum inter utrumque commercium totam machinam labefactat. Hinc colluviem putridam, ſi non turgeſcat, mobilem efficiet medicus, lenibus reſolventibus, refrigerantibus, aceſcentibus, ſaponaceis, ut ptiſana ex citris, aurantiis excorticatis, tamarindorum decocto, ſero lactis tamarindato, nitrato, juſculis levibus farinoſis, hordei, oryzæ cremoribus,

melle, oxymelle, ſed non diutiùs adhibito, ne accerſatur diarrhæa, forte incoercibilis.

Mobilem factam, vel turgeſcentem vomitorio, ſi ſupra, purgante autem, ſi infra, expurgabit; ſicque fatuum multorum medicorum præconceptum, numquam in febris initio & vigore purgandum eſſe, contemnens, medicinam ad morbi momenta, non ad temporis menſuram accommodabit poſt conſilium *Freind*, de purgant.

Solventibus ità præmiſſis, nunquam pœnitebit medicum propinaviſſe emeſim : ſimplicem efficiet morbum, ſic quaſi manu, cauſam omnem morbi materialem penitus averruncet : ſæpèque ſæpiùs viribus naturæ foras protrudere conantibus volitans adhùc in telâ cellulari miaſma putridum, ſuccuret, levem promovendo diaphoreſim, adhibitis veſicantibus, ſi molimina depuratoria deprehendatur; vel ſanguini jam admixtum, dimovebit, depluere coget in inteſtina, motuum tonicorum ſynergiam, perutili illarum partium titillatione, advocando, determinando, ſicque leni diarrhæâ, non pluſquam æquo enervante maximâ criſcos parte. *Grant.* Materiem in inteſtinis ſtabulantem, & deorſum vergentem quod indicabunt, borborygmi imi ventris ac lumborum, genuumque dolores, tamarîndis, cremore tartari, & aliis hujuſmodi, biliofis affectibus dicatis, expellet.

Quam ſubitò vires fictitiè ſuppreſſas, revocet emeſis & erigat, mirabitur. Evacuantia in iſto caſu nonne ſunt cardiaca ? Ex trito admodùm axiomate, ſublatâ cauſâ, tollitur effectus; ſublato igitur bilioſo fomite vires proſtrante, illæ reficientur. Non mirum ergo ſi clar. in arte viri *Van-Swieten*, *Tiſſ t*, *Stoll* & alii emeticum, inter potentiſſima cardiaca in quibuſdam putridis febribus numereut & talem ex illo ſortiti ſint effectum; vires enim non exhauſtæ erant, ſed ut apprimè obſervat *Ballonius* dejectæ videbantur; & id fiebat ob morſum bilis, & purgatione reſtaurabantur; cardiacis dictis, quæ omnia fere ex calefacientium claſſe deſumuntur, magis agitata bilis dejectionem illarum adauxiſſet. Hinc maximè perpendendus eſt hicce virium ſtatus, in prægreſſis quam accuratiſſime inquirendum : in genere ſi nondum in longum proceſſerit morbus, ſi in vitali fundendo latice non peccatum ſit; ſi copioſæ non præceſſerint dejectiones, quæ vires debilitarint, ſi nondum remedia hauſerit æger quæ ſyſtema gaſtricum repurgarint, de reali debilitate ſuſpicandi non datur locus & quam primum, invitis apparentiis eliminandæ ſunt ſordes; periculum enim in morâ.

Quare auctores emeſim purgantibus ante poſuerint non mirabitur quicumque attendet]; 1°. anti periſtaltico motu, quo excitatur emeſis,

naturam ſæpiùs uti, ut gravatum exoneret ventriculum, ab eoque proinde non aborrere, eam per nauſeas vomituritiones in hoc morbo ſolemnes, viam nobis monſtrare, quâ materiem expellere conatur. 2°. Ocius ægrum ab emeſis perturbatione refici, quam à leniori lentioriſque purgantis actione. 3°. Tandem materiæ ſedem eſſe in primâ corporis regione, circà præcordia, inteſtina tenuia, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum; tenacem hanc, in his locis impactam materiem incaſſum cathartic is tentaret, quam plerùmque etiam vehementiſſimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare poteſt. Facilis autem & moderata vomitio, noxios humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & vacuat, omnem, quæ in ventriculi capacitate, in ejuſque tunicis hæret, illuviem, inprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris, lienis, & ex pancreate, omnis generis ſupervacuos humores evellit.

Inter illas vero ſubſtantias quæ ſalutare illam emeſim ciere valent in iſto morbo palmam præ ripere videtur tartarum ſtibiatum, in aquâ ſolutum. Certius illud quam aliud quidquam effectum ſuum ſortitur; & cum per epicraſim poſſit propinari, numerus vomitionum in medici poteſtate eſt, aliunde ejuſdem effectus apprime congruunt conatibus naturæ, quæ cholerâ bilioſas has peripneumonias plerùmque ſolvit ut *Ballonius* in epidemiis obſervat; choleram enim artificialem cum bonis ægri rebus excitat. Radix vero ipecacuanhæ illud habet incommodi, quod vel emeſim producat alvum ſtrictiorem redendo, vel mucoſis ventriculi ſordibus involuta effeta remaneat, vel nullâ excitata emeſi, purgantis inſtar verſus alvum ruat.

Sunt alii qui purgantia anteponunt emeticis, exiſtimantes viam à naturâ monſtratam inſequi, quæ ſemper fere in hoc caſu alvi fluxu, motu inteſtinorum periſtaltico gravantem ſarcinam deponit. Addunt huic ſpecioſæ hallucinationi, purgantia minores turbas excitare, ægrique viribus magis accommodata prædicant; ſed palmam dabit emeſi ille qui ſupra allatas rationes bene perpenderit. Abſit vero, ut cathartica ex hujus ſpeciei curâ velim amandari; ſuas enim in hâc partes adimplent. E ſedibus ſuis excita ſordida colluvies emetici actione, non rejecta penitùs prima emeſi ſuperiorem regionem ſenſim relinquit, ut inferiora petat, ubi turgeſcentiam exhibet. Jam ſic ano egreſſum mollientem, emetico ſurſum exturbare velle inſanientis eſſet.

Cum eliminata fuerit bilioſa colluvies, cogitandum eſt de corrigendâ humorum putredine. Huic verò indicationi ſatisfacere eſt cum acidis vegetabilibus quâdam energia præditis, ut ſucco citri, acetoſellæ alleluyæ, ace-

toſæ, maximè enim hæ ſubſtantiæ putredini reſiſtunt, cor peculiari vi roborant, ſitim extinguunt, intemperiem febrilem corrigunt, concreta bilioſa ſolvunt, urinæ & alvi vias laxant. Cavendum tamen nedum relaxanti virtute agunt, ſubortâ diarrhæâ excreationem quam maximè utilem compeſcant ut ſupra videre eſt. Si verò putredine jam infectâ humorum maſſa, diſſolutionis jàm exiſtentis, vel imminentis indicia præbet tunc ad heroïca ex templo remedia, corticem peruvianum, ſepentariam, arnicam, vinum, camphoram frigidiſſima etiam, acida mineralia & cætera anti-ſeptica, excitantia, nervina, tono virium ruinæ humorum degenerationi ſolidorum debilitati accommodata tanquam ad ſacram anchoram confugiendum, at hæc non indiſcriminatim, ſed cautiſſime ſeligenda & opportuniſſime ſunt adhibenda.

Palmam præripiet cortex peruvianus ubi viribus proſtratis, ſolidis laxis, debilibus, languenti vitali principio, proſpiciendum erit. Camphora, ſerpentaria, angelica, imperatoria, præcipuè vinum, calidum innatum in foco coercebunt, flammæque vitali pabulum fovebunt, ubi fatiſcentem indicant pulſus tenues, celerrimi, ſumuſque putriditatis gradus, artus frigidi, facies pallida, livida, collapſa, hippocratica, delirio cum taciturno. Profluentem quovis emunctorio, diſſolutum ſanguinem, necnon & ſuggillationes, petechias compeſcent acida mineralia inter quæ præpollebit acidum vitriolicum, ni, quod viribus penitus exhauſtis, torpente circulatione, torporem adaugeat, timendum ſit; tùm certe, perutiles addent, ſtimulos veſicantia, rubefacientia, ſynapiſmi, aliunde perexitioſos, dùm revolutionem humorum & circulationem compeſcendam promoveant. *Tiſſot*, *Huxam.* Sed antiſpaſmodicam excitantem & tonicam attendat medicus virtutem, & ſeroſæ, materiei quam excernunt, parùm ſatagens, ſtolliano modò applicari curet, ſuppurationem poſt excitatam veſiculam, non fovens, nec epidermidem aufferri ſinat. « non enim inquit *Stoll* ſuppuratio ſed ſtimulus veſicantium prodeſt. »

Arnicæ radix pauperum kinæ (*Stoll*) fræna dabit incoërcibili ſæpè diarrhæ & colliquanti inſcio ægro, languorem excutiendo, vim tonicam reſtituendo. Cur non in deſperatis experiremur glaciem & frigus regem antiſepticorum cum non inflammationi ſed putredini luctandum ſit?

De pleuropneumaniâ pituitosâ.

Alia nunc morbi ſpecies deſcribenda venit, ubi pituitoſa ſcilicet labes non ſolum in toto ſanguine dominatur, ſed peculiare inſuper viſcus præ

cæteris graviter premit, quam pleuropneumoniam pituitoſam ob cauſam materialem ſalutârunt autores, graſſatur autem hæc ad finem vergente autumno, ſæpius in eo tempore quod finientes hyemis, & veris naſcentis fibula eſt, favente humidâ, pluviosâ, nebulis fætâ tempeſtate : jam obſervaverat *Hipp.* de nat. hom. per hyemem accumulari humorem illum qui tempore verno, gratâ favonis vice, ſub varias formas efflorеſcit inter quas eminet pneumonia.

Rarior hic morbus calidarum regionum incola eſt, at in humidis, depreſſis frigidiſque terris ſedem potiſſimum figit, in quibus & cœli humiditas, & pingium ciborum abuſus, & iners vitæ genus, generandæ pituitæ favent. Quotidie videmus homines, aït *Grant*, qui reſpirationem habent ſibilloſam, faciem tumidam & flavam, oculos proæminentes, collum breve & contractum, abdomen craſſum, pulſus molles & tardos, manus frigidas, ſpecioſam & mollem cutim, bonum appetitum, nullum ſpaſmi ſignum præ ſe ferentes, neque tuſſim vel ingratam ſenſationem in fauces, ſed qui continuo de reſpiratione oppreſsà quæruntur quantulocumque ambullent, & omni ope ac operâ enituntur ut divellant pituitam tenacem, ſapore carentem quæ ipſis videtur obſtruere & infarcire omnes glandulas : generaliter hi ſubjecti modicis exercitationibus utuntur, edaceſque ſunt carnium pingium & buthyri, nutriunt ſe elixâ inaſatâ carne male coctâ, liquores fermentatos ſumunt pro potu ſi theam mane & veſperâ ſumptam excipias, arcte graviterque dormiunt, licet tepidiſſime ſe in lecto habeant, attamen non ſudant ob vaſa obeſitate vel adipe oppreſſa & cutis diſtentionem, ita ut nil per illa cola auffugiet quam exhalatio ſubtilis ac volatilis, dum vero particulæ oleoſæ adipoſæ retinentur. Hæc vix in regionibus calidis eveniunt ubi ſucci valde exaltati ſunt & cutis laxior : ideo forſan apud veteres Arabiæ & Græciæ medicos vix veſtigia hujus morbi occurrunt, cum vel vitæ ratio, vel patrium illorum ſolum, ob cœlum calidius, atque aëris viciſſitudines, illorum quoque corpore ad pituitam minus proclives redidiſſent : obſervaverunt tamen quod generaliter, ſubjecti pingues, acutis morbis detentis cum reſpiratione difficili ſuffocati pereant, & repentinâ morte obeant. Hinc *Hipp.* aph. II. 44. *Qui naturâ valde ſunt craſſi, celerius moriuntur quam graciles.* Excultam habemus nunc atrocis hujuſce morbi tum cognitionem, tum etiam curam à ſummis in re medicâ viris *Sydenham* qui hanc notham appellavit. *Huxam* nervoſam lentam. *Grant* pneumoniam notam cum ſpiſſitudine attrabilariâ, â *Stoll* ejuſque diſcipulo *Eyerel* pituitoſam nuncupatam.

Aggreditur hic morbus, inquit *Sydenh.*, paulo habiliores ac craſſos præ cæteris, virilem ætatem vel aſſecutos, vel etiam quod ſæpius accidit prætergreſſos; liquoribus ſpirituoſis, vini maxime ſpiritui plus æquo deditos; ideo forſan volebat ſummus ille vir aquam vitæ proſcribere & illius uſum reſtringere ad applicationes externas duntaxat: ſenibus, debilibus, pueris, laxis, fœminis, otioſis familiaris, præcipue poſt uſum viſcoſi victûs, farinoſi, adipoſi; cum enim in hujuſmodi hominibus, aït *Eyerel* ſanguis pituitoſis humoribus, brumæ tempore congeſtis fuerit oneratus, atque iidem ab eunte vere in novum motum cientur, tuſſis hanc nacta occaſionem mox ſubingreditur, quâ miniſtrâ dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt; quo tempore ſi forte æger nullo vivens concilio liquores ejuſmodi ſpirituoſos adhuc liberaliùs hauriat, craſſeſcente jam fere, quæ excitabat tuſſim, materiâ, & ab eâ præcluduntur pulmonum additus, & febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur; hæc videre ſunt per dejectionem pituitæ, quæ nonnumquam in hoc morbo tali quantitate dejicitur ut non facile credi poſſit, eam in ventriculo, & in proximo inteſtino fluctuare.

Cum hâc ſæpe conubium jungit alia pneumonidis ſpecies *pituitoſo-verminoſa* ſc.; quæ infantibus ſenibuſque præſertim diatheſi pituitoſæ maxime pronis ſupervenit: in hâc ſpecie tuſſis eſt cavernoſa, veluti ſi ex antro evaderet & ventriculo proveniret ac in aſthmatibus: cum vero ſubſtracto pabulo vermes facile deturbentur ſub prioris titulo comprehendi poteſt.

Cauſa excitans eſt omne id quod pituitam ad pulmones maxime determinat, ut declamatio, cantus, ebrietas; æſtus, ſubitum frigus calorem excipiens, curſus. Viſcidi enim humores, inquit *Huxam*, numquam tam libere per arteriarum tranſeunt extrema, quam tenuiores & fluidiores, unde ii ſubitaneâ humorum agitatione commotâ, in pulmones largius quam ut per illos tranſire queant impelluntur; unde ii magis magiſque coacervati, magis etiam magiſque pulmonum vaſa obſtruunt, donec tandem ſtagnatio ſequitur mortifera, & ipſa accedat mors. Quod exemplis ſingulari ratione illuſtratum videmus, quando artificialem, ut ita loquar, excitamus peripneumoniam, ſcilicet virgo chloroſi leucophlegmaticâ laborans (ubi talis lenta viſcidita pituita præ reliquis dominatur) inſigni & diu continuato exercitio agitetur, pulmones ejus tandem repleti ita aggravantur, ut ingenti ſpirandi difficultate, imo plenariâ quoque corripiatur ſuffocatione; quod revera aliquoties accidit, quando exercitium nimium fuit auctum.

Sunt

Sunt autem prodromi aut ſymptomata morbum aut præcedentia, aut incoantia hæc ferme; phlegmatica ægrorum conſtitutio; laſſitudo præter modum; & ſine manifeſtis aliis cauſis laſſitudinis; triſtitia involuntaria, & hypochondriaſis ſine notis & evidentibus cauſis, ſenſus ferme aſſidui frigoris ſine percutiente horrore, ſed quaſi ab athmoſpherâ frigidiore, calor tamen ad frontem admotâ manu major, cum reliquâ capitis temulentiâ, vertigine, major in iram & in omnia triſtia animi pathemata proclivitas. Somni turbati, non reficientes, inter inſomnia & ſudatiunculas non levantes, dolores vagi artuum, tuſſicula, veluti catharroſa, coryza non maturans. Appetitus perſtans quidem ut plurimum, & à paſtu etiam modico anxietas, præcordiorum dolorifica repletio, & plenitudinis ſenſus cum magnâ triſtitiâ; poſt paſtum dormitio & nulla poſt ſomnum refrigerationis ſenſatio; levamen ab enemate lenique purgante; impatientia lucis plenioris, auditus acutior, & ſæpe ingratus ac dolorificus: amor ſolitudinis: os inſipidum lenteſcente pituitâ plenum, cum matutino copioſoque ſubinſcreatu. Raro auſterus ſavor, aut amarus. Hæc fere morbum præcedunt: quo diutius durant hæc ſigna ante febrim, eo difficilior futurus morbus erit. *Non enim*, ait *Hipp.*, *celeriter morbi hominibus eveniunt*, *ſed ex minimo collecti*, *ſimul apparent.* De diæta. Et alibi: *Neque enim morbi de repente hominibus contingunt*, *ſed paulatim collecti acervatim ſe produnt.* De vict. rat. Tandem ægris his prægreſſis levis ad ſenſum febris ſupervenit; cum caloris & frigoris vicibus alternis poſt febris aggreſſionem, pulſus plerumque parvus, mollis aut vix à naturali recedens, neque horror febrilis, aut æſtus, qualis in verâ pneumonide eſſe ſolet. Ex claſſe remittentium febris eſt, & ſub finem vergit in intermittentem: laborioſe reſpirat æger, veſperi maxime & noctu, ac ſedens, ac non ſecus ſi, anguſtatâ ſpiritus viâ, intra thoracem quid ebulliret, cum ſibiloſo ſtrepitu. Interea facies intensè rubra, nonnumquam livida, caput vehementer dolet. Ubi enim lenta illa pituita in pulmonum vaſis hærere incipit, jam impeditur liber ſanguinis ex corde dextro in ſiniſtro tranſitus, unde majore reſpirationis molimine ægri hanc viam expedire conantur: hinc anhelant, deque moleſtâ anxietate, & pectoris oppreſſione conqueruntur. Plenitudinis & humorum in capite congeſtorum ſenſus, *ac ſi caput ægris diſſiliret*; à pituitâ nempe in cerebro accumulata; hinc in quibuſdam vertigo, coma. Tuſſis ſicca, vehemens, pulmones ferme dilacerans. Ortopnæa, raucedo; ſenſim enim magis magiſque infarcitur pulmo, ſic ut pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipiatur. Tandem ventriculus vomendi moliminibus laborioſis, inanibus vexatur, dolet thorax. *Eyerel.*

Si ergo novimus hominem ex anni conſtitutione, propriâ temperie,

ætate, malo victu, aliiſque morbis prægreſſis; lentâ mucosâ ſaburrâ corpus gravantem habere, atque deinde tales acceſſerint cauſæ, quæ illud mucoſum movere, & ad pulmones determinare potuerint; ſcimus hunc morbum metuendum eſſe. Symptomata autem mox recenſita declarant, pulmones nunc pituita opprimi, atque ea auxilia eſſe adhibenda, quibus pulmones ab alieno pondere expediuntur, atque iners in corpore pituita ſubigitur & eliminatur.

Valde periculoſus eſt hic morbus, ſi ſubjecta conſideres quæ illi frequentius obnoxia, ut ſenes potiſſimum: effeta enim ut ita dicam in illis natura, glutinoſa hujus ſcaturiginis, conatus ſuos jam debiles caſtrantis mole veluti obruitur, & haud rarò dum undique vires ſuas colligit, ut ſeſe oneri ſubducat, illudque excutiat, ſuffocatus æger fato cedit.

Hic etiam notatum velim infauſtam hanc prognoſim non omnibus competere; graſſans enim epidemia, omnes indiſcriminatim habitu afflat impuro inter quos illi gravius ſemper affliguntur, quibus ineſt temperamentum cum diatheſi magis ſociabile, dum eâdem prorſus leviter perſtringuntur ii qui idioſincraſi contrariâ gaudent. Ex hâc ſane temperamentorum diverſitate deducendi ſunt, ex eâdem curâ in eâdem epidemia ſortiti effectus. Licet enim in omnibus ſimilis appareat morbi genius, idemque dominium teneat humor, peculiari tamen cujuſlibet conſtitutione vel fovetur, vel coercetur; unde morbus exoritur genuinus, ſi diatheſis una cum corporis conſtitutione, ſub iiſdem vexillis militet, hybridus vero ſi inter ſe diſſentiat.

In curandâ hâc ſpecie attendere debet medicus ad ſexum, ætatem, idyoſincraſiam, ad temperiem vigentem, quâ ratione habitâ, ſanguinem iſtum ſi quis eſt qui pulmones obſtruat, ut ſic aperiantur viæ humoribus per pulmones tranſituris; ſed caute mercandum cum venæ-ſectionibus eſſe nos *Sydenham* monet, quem ſedula obſervatio docuit, repetitam venæ-ſectionem, quæ in vera peripneumonia toties requiritur, in hoc morbo nocere potius & peſſime acceſſiſſe præcipue illis, qui craſſiori erant corporis habitu & ætatis florem jam prætergreſſis, quales in primis huic morbo obnoxii ſunt. Adeo timebat ſummus ille vir debilitatem poſt phlebotomiam in hoc morbo ſæpiſſimè ſequelam, ut juſſerit in lecto jacentibus ægris ſanguinem mittundum eſſe, ſic enim optime præcavetur animi deliquium in hoc morbo pernoxium: ex largo autem vulnere ſanguis mittetur, ne pituita gravatus ſanguis, hincque lenteſcens parvum vulnus obſtruat teſte *Quarin*. Repetendæ venæ-ſectionis nonnunquam ſubeſt ratio quæ deſumitur vel ex complicatâ febri inflammatoria, vel vero ex longiore infarctûs hujus pituitoſi morâ; unde accidit phlogoſis vera, ut itaque vera ſimul pulmonum inflammatio habeatur, quæ phlebotomiâ debellanda venit. Hinc monitum *Huxami* cum

vero ſtatûs intermedii inter peripneumoniam violentam inflammatoriam, & hanc nunc propoſitam deprehendantur, nulla fundata & diſtincta dari poteſt methodus medendi; quoniam affectus peripneumonici nonnunquam magis, nonnunquam minus inclinant in inflammatorium: morbus autem eſt œconomiæ animalis perturbatio, quæ his vel peculiaribus diſtinguitur ſymptomatibus, & hoc vel illo nuncupatur nomine, quilibet vero morbus peculiaris in quolibet homine individuo conſiderandus eſt. Si ergo magnam pectoris oppreſſionem & ægritudinem, ſpirandi difficultatem, tuſſim, cæteraque cum pleno, forti, celeri, aut valde intenſo & duro aliquo pulſu in homine forti & vigente invenio, hæc ſufficiunt ut multo liberius & crebrius ſanguinem emittam, quam ſi oppreſſionem, tuſſim, cæteraque non adeo rapidus eſt fortis, aut celer & tenſus comitatur pulſus: in primis ſi ſciam ægri conſtitutionem eſſe debilem, laxam vel naturali non multo major, urina pallida & cruda, cæteraque ſic occurrunt, admodum cautus in ægroti ſanguine detrahendo eſſe debeam, licet oppreſſio & ſpirandi difficultas valde urgere poſſint. Obſervandum eſt ægrotum ſubito proſterni multoque fieri debiliorem poſt talem evacuationem quamvis oppreſſio & anxietas multum remiſerint; cum enim ſanguinis miſſio ſpeciatim debilitet naturæ vires in hoc caſu, & actionem ſolidorum in fluidos infringat auget morbi lentorem continentem morbi cauſam.

Poſt venæ-ſectionem quæ caute repetenda eſt illico injiciatur clyſma, quod quotidie faciendum eſt, donec reſpiratio facilior & pulſus auctum robur docuerint levari pulmones; ut alvus elicetur, ſicque eductis fecibus terſa inteſtina venulis bibulis reſorbere poſſint illa quæ poſtea eâdem viâ injiciuntur & ſaponacea & ſolvente vi lentum illud pituitoſum attenuare valent. Huc etiam conducunt leniora purgantia, quæ ſolvente vi agunt non autem ſubducunt de corpore liquidiſſima: egregia erunt medicamenta oxymel ſimplex, ſcilliticum cum mannatis, quæ attenuant, attenuatâque materia vomitu, alvo & viis urinariis eliminant. Sumat æger pro potu ordinariò infuſionem herbarum incidentium, & bechicarum ut-pote hyſſopi, glyzirizæ. Magni æſtimârunt neoterici decoctionem ſalep. Cum nota hæc pleuropneumonia ordinariò frequentibus vomituritionibus comitata ſit, non poteſt medicus in illo caſu meliorem adhibere medelam quam naturæ conaminibus ſatis facere: emetico & interpoſitis remediis ſalinis *Stoll* hanc inflammationis ſpeciem curabat quin præceſſerit ſanguinis miſſio; ſed hanc inſtitutam vult habere *Huxam* antequam ſuum vinum antimoniale, quod pro arcano tenet in hoc morbo, adminiſtret. Per tranſenam annotabimus, caute cum emeticis apud ſenes mercandum eſſe; non enim infrequens eſt, eos extremum efflare ſpiritum in hoc morbo dum emetica effectum ſuum ſortiuntur.

Veſicantia quoque maximæ ſunt utilitatis in hac pneumonide atteſtante *Huxamo* tum ob eorum virtutem attenuantem & irritantem, quam ad eliminandam materiem morbificam, vel per ſputa vel alia cola, cutis v. g. jam à principio morbi unum applicandum eſſe ſuper nucham contendit clar. ille vir; neque omittendum eſt quod epiſpaſtica ad crura & femora applicata polleant virtute frangendi vel diſſipandi capitis pectoriſque dolores ubi omnia alia remedia inutiliter tentata fuerint. Cum vero ſæpè occurrat in hoc morbo ut membra frigeſcant torpeantque, antequam illa applicentur fricanda ac involvenda ſunt cum panno laneo tum ad veſicularum eruptionem properandam quam ad materiei effluxum faciliùs reddendum. Si ſopor ac pectoris oppreſſio militare perſeverent poſt venæ-ſectionem ubi hæc denuo, & cum malis ægri rebus inſtitueretur, tunc omnem paginam adimplebunt cucurbitulæ ſcarificatæ; ſi vero vitæ periculum immineat, tunc ad veſicantia ſupra ipſaſmet ſcarificationes applicata tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſt. Propinari quoque poſſunt ægrotis aqua ſinapis, hydromel, vel decoctio pectoralis ex hordeo, paſſulis, caricis, radice glicirrizæ & aqua fontanæ confectis quibus addi poteſt vinum album ad vim ejus reſolventem adaugendam. *Hipp.* vult ad excreationem properandam in pleuritide & peripneumonia hydromel cum vino dulci & aquoſo adhiberi : kermes mineralis ad illam fovendam maxime conducit. Non infimum locum merentur ſuffitus & vapores aquæ calidæ cum aceto mixtæ. Opiaticis peculiariter ſuccinnatis *Hoffmann* & *Huxam* maximo cum emolumento uſi ſunt in hocce morbo. Syrupus de karabe præ placet nonnullis. Arnica & contrayerva à *Stollio* hic decantatæ perutiles ſunt. Si hæc affectio ortum ducat à perſpiratione cohibitâ vel repercuſſâ diaphoretica & ſudorifera, à nonnullis in pleuritide commendata, maximam curationis partem efficiunt, ab initio adminiſtrata.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam de diverſitate procedendi in iſto morbo ex duobus viris *Sydenham* ſcilicet & *Stoll* qui tam belle, de arte medica meriti ſunt, ſed attendes quæſo ad epidemias, ſydenhamianas ex phlogiſtico genio fere omnes participaſſe; ſtollianas vero rariſſime, ſive ex incolarum vivendi modo diſſimili, ſive ex regionis temperie diverſa, cauſa repetenda ſit.

Hæc ſunt PATRES CONSCRIPTI, quæ vobis offerre ſum auſus. Ignoſcite tyroni, in praxi adhùc rudi. Orationis facundiam in noſtra diſſertatione neglegimus. De rebus multum, de verbis paucum curavimus. In arte medicâ orationis facundia minus ſpectanda quam rerum veritas, utilitaſque. Pergite, quæſo, VIRI PATRES, veſtra erga tyrones beneficia; noſtra erga vos obſervantia nunquam deerit. Nunc de vultu veſtro judicium meum prodeat.

D. I. X. I.